DE
PAMPHO ET MUSAEO.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXVI. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCLXIV

PUBLICE DEFENDET

IOANN. BAPT. EBERHARD

TREVIR.

MONASTERII,

EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.

MDCCCLXIV.

VIRO

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO

MATTHIAE EBERHARD

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI
EPISCOPO PANEADENSI I. P. I.,
SUFFRAGANEO DIOECESEOS TREVIRENSIS,
ECCLESIAE CATHEDRALIS TREVIREN. CANONICO CAPITULARI.

FRATRI CARISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

SCRIPTOR.

Die spärlichen Nachrichten über die bedeutendsten Männer aus der dunkelsten Vorzeit des Alterthums gleichen den alten Denkmälern, welche sich kaum über den Boden erheben und deren von der Erde bedeckte Säulen der Einbildungskraft des Reisenden die ganze Höhe errathen lassen. Unwillkürlich thut man selbst zu dem, was die Alten sagen, dasjenige hinzu, was sie nicht sagen, und was man nur ahnen kann.

C. Fr. Heinrich, Epimenides aus Creta.

Aliquantum temporis in studio poesis Graecorum hieraticae cum consumpsissem, mox inveni de nonnullis id genus poetis tantum copiosius a viris doctis esse disputatum. Imprimis Atheniensium poetarum huius generis ratio non satis est habita, quamquam pro certo habere possumus, Athenas in his rebus praecipuum locum tenere. Quae res cum colligitur ex eo, quod mysteria ibi florebant Eleusinia, tum ex nominibus, quae traduntur poetarum illius regionis, Pamphi, Musaei, Eumolpi. Quamobrem hos tres Athenienses poetas in medium promere decrevi. Quod propositum ob causas quasdam inopinatas prorsus peragere non licuisse mihi valde doleo. Eumolpo igitur nunc quidem omisso agam de Pampho et Musaeo, e quibus de Pampho, quoad scio, adhuc a memine fusius expositum est; de Musaeo quidem Franciscus Passovius (Musaeos. Urschrift, Uebersetzung, Einleitung nnd critische Anmerkungen zu Hero und Leander. Leipzig 1810.) erudite disputavit; sed

viri docti opiniones vereor, ut nostrae aetati omnes satis faciant. Induxi igitur in animum de nomine, patria, aetate, parentibus carminibusque Pamphi et Musaei, etsi perfectam ingenio non possum, industria tamen eloboratam narrationem eis, qui in hisce rebus versati sunt, modeste proponere. Musaei fragmenta omnia ad unum a Passovio collecta veris titulis et personis, multas Passovii coniecturas refellens adscribere postremoque, quantum valeo, ingenium duorum poetarum explicare conabor. Nimirum commonendum est, quamvis hac materia assidue elaborata attamen me non supremum arbitrum diiudicaturum esse. Licebit attamen, habito examine, iudicium facere et statuere, utrum quae sub Musaei nomine tradita sunt, rei et naturae illius poesis consentanea sint, necne. Diiudicabo ergo, aeque distans ab iis, qui fabulas pueriliter et sine discrimine pro veris accipiunt, atque ab iis, qui omnia fragmenta inania, a posteris ficta censent et respuunt.

PARS PRIOR.

DE PAMPHO.

Non est, cur de scriptoribus, qui Pamphum memorant, longius agam, quoniam fere solus, ad quem decurramus, exstat fons Pausanias; quem auctorem esse gravissimum in his rebus non est infitiandum, cum ea, quae tradit, ipse viderit sive a templorum sacerdotibus perceperit. Quae Philostratus et Hesychius de Pampho tradunt, admodum sunt exigua. Pamphum, antiquissimum Atheniensium hymnographum fuisse primus tradit Pausanias VII. 21, 3: *Πάμφως δέ, ὃς Ἀθηναίοις τοὺς ἀρχαιοτάτους ὕμνων ἐποίησεν.* . . . et IX. 29, 3: *Πάμφως δέ, ὃς Ἀθηναίοις τῶν ὕμνων ἐποίησε τοὺς ἀρχαιοτάτους* . . . . . et IX. 27. 2: *Ὠλῆνος δὲ ὕστερον Πάμφως τε ἔπη καὶ Ὀρφεὺς ἐποίησαν.* cf. I. 38, 3 et 39, 1; VIII. 35, 7; IX. 29, 3 et 31, 6 et 35, 1. Quod mirum forsitan cui videatur et primo obtutu mirum est, apud Pausaniam demum Pamphi mentionem fieri, id iam nihil habet, quod explicari nequeat, si in animum inducis, rerum sacrarum disciplinam, quatenus ad mysteria spectabat, per totam fere antiquitatem hominibus profanis absconditam fuisse neque cuiquam praeter sacerdotes ad eam patuisse aditum. Exque eadem causa repetendum esse duco, quod Paus. IX. 27, 2, ut maior existeret eorum, quae narrat, auctoritas, carmina quaedam a sacerdotibus ipsis, ut qui in eis rebus soli integre versarentur, se asseverat accepisse. Accedit quod deorum cultum Homeri fere quae dicitur aetate multis

modis constat esse mutatum, quare oblivione vetusta illa carmina, ut obruerentur, factum est. In quorum igitur locum, ut rerum conditio efflagitabat, recentiora successerunt, quae ut ad nova cultus et rei sacrae genera magis erant accommodata, ita politiori arte atque ornatiori elegantia sensus hominum magis, quam rudiora illa ac casca delectabant eorumque notitiam paene tollebant ex hominum memoria.

CAPUT I.

PAMPHI NOMEN UNDE DERIVANDUM SIT.

Usitatior huius nominis forma videtur esse *Πάμφως*, non *Πάμφος*; nam pro ea, quae semel occurrit in Hesychio (edit. Schmidt. III. p. 263: *Παμφίδες, γυναῖκες Ἀθήνῃσιν ἀπὸ Πάμφου τὸ γένος ἔχουσαι*) *Πάμφου* declinatione, quaque F. A. Wolfius, Matthiaeus, alii utebantur, omnibus locis Pausaniae legitur *Πάμφως* [cf. I. 38, 3; I. 39, 1; VII. 21, 3; VIII. 35, 7; IX. 27, 2 et 29, 3 et 35, 1.] et genitivus *Πάμφω* bis tantum apud eundem IX. 29, 3 et 31, 6 cf. Philostrat. Heroic. p. 666 (Morell.).

Cum quae de hoc poeta referuntur, valde manca sint atque obscura neque inter se ubique conveniant, facile intellegitur, qui fieri potuerit, ut viri *ἐτυμολόγοι* in hoc nomine non certi cuiusdam poetae, sed potius alicuius generis poesis significationem invenire sibi visi sint. Quo factum est, ut multorum poetarum priscorum nomina per longum tempus non propria filiis modo natis haberentur imposita, sed ut vere appellativa certam poetarum classem denotare viderentur. Itaque alia ab aliis passus est Pamphus ille, quem etymologiis ex diversissimis linguis petitis certatim de medio tollere studebant. Hic pauca tantum exhibeamus, quibus Sicklerus [Homers Hymnos an Demeter. Hildburghausen 1820] p. 62 et Pamphum negat et alios ei aequales fuisse poetas. Quo loco nomen Pamphi ex Hebraicis vocubulis פ ע ם = concutere, re-

fertum, cogitationibus plenum esse et פֶּה = ôs, dictum et עוץ = vis, potestas confictum sic explicat: Ut neque Linus neque Olen genuini poetae fuerunt, sed merae descriptiones antiquae inter Graccos poesis certique modi, quibus carmina aptabantur, sic Pamphus nihil aliud est, nisi seu oris seu elocutionis vis concutiens, cogitationum plena; Pamphus igitur, qui Oetolinum canit: Die erschütternde, gedankenvolle Trauerklage, in universum: Der volle und sinnige Volksgesang, in ersterer Hinsicht identisch mit dem aegyptischen Hemaneron oder Maneros. Qua derivatione etymologica aliisque quamvis Sicklerus multum praestet ingenii, tamen istud commentum nunquam tantam auctoritatem nacturum fuisse puto, nisi primi eius sectatores ad summi philosophi Aristotelis sententiam provocare potuissent [cf. Cic. de nat. deor. I. 38: „Orpheum poetam docet Aristoteles nunquam fuisse et hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cuiusdam fuisse Cercopis"] quae tamen, quo pertineat, non viderunt. Qua de re infra fusius disputabimus. Atqui manifestum est, eiusmodi conamina, Graeca nomina propria ex aliis linguis derivandi, plerumque esse temeraria. Rem autem nostram si forte coniecturis tentare liceat, cur e barbaris potius verbis, quam e Graeco sermone repetamus, prorsus non video, dummodo aliqua ex ea emergat apta vis simplexque veritas. Quidni, si suspicioni ut indulgeamus concedis, istud nomen referimus ad verba *Πᾶν* et *φᾶς*. Lumen igitur Pamphus est, qui sacris fere omnibus rebus aliquid lucis ac perspicuitatis afferat atque mysteriorum deos cultusque explicet luceque clarius exponat, cuius rei argumenta postea afferentur. Si quis vero ad Sanscritas mavult decurrere origines, facile puto cogitabit de hac fere etymologia:

pan - phôs:

skr. bhâ II. cl. P. A. splendere, fulgere, apparere, videri graec. *φάω*, *φαίνω*, *φημί*, *φοῖβος* forma anomal. redupl. (sicut *φέβομαι* a bhî;) lat. fari. cf. Bopp. glossar. sanscrit. Berol. 1847. 1. v. bhâ. Restat ut quaeramus, quomodo illa nomina poetarum, quae ex antiquitate ad aetates recentiores sunt translata, extiterint. Cuius rei duae tantum causae afferri possunt:

altera cur prisci illi sacerdotes filiis recens natis ominosa nomina dederint, quae plerumque ad communia magis, quam ad propria nomina spectarent, ut illae significationes simpliciter munus sacerdotis sive, ut rectius loquar, vatis explicent. Quae res mihi quidem veri videtur esse similior. Altera quod nomina vatibus recens natis data populo non placuerint, qui illis poetis nova nomina eaque ad totam illorum hominum indolem atque ingenium accommodata attribuit, ut populares significationes nominibus prioribus prorsus oblitteratis postea praevalerent. Ex posterioribus aetatibus similia nobis narrantur; hic Stesichori tantum vel Tisiae, Theophrasti vel Tyrtami mentionem faciam.

CAPUT II.

DE PAMPHI AETATE AC PATRIA.

De Pamphi poetae aetate ac patria, quaecumque traduntur, incerta sunt. Quarum rerum Pausanias fere solus auctor est. Ac primum quidem de aetate cf. Paus. IX. 27, 2: *Ὠλῆνος δὲ ὕστερον Πάμφως τε ἔπη καὶ Ὀρφεὺς ἐποίησαν* et VIII. 37, 6 .... *καθὰ Ὅμηρος καὶ ἔτι πρότερον Πάμφως* .... His duobus locis Pamphum post Olenem et ante Homerum vixisse traditur, quibuscum consentit idem I. 38, 3. *καλοῦσι δὲ σφᾶς Πάμφως τε, κατὰ ταὐτὰ καὶ Ὅμηρος* .... Ex his testimoniis definite quidem tempus, quo Pamphus vixerit, constituere non possumus, sed omnino nequit hodie certi quidquam de hac re indagari, tantumque abest, ut nos veros Pamphi natales enucleare posse existimemus, ut ne saeculum quidem, quo vixerit, certo a nobis indicari posse persuasum habeamus. Qua in re valde laudanda est summa Meinersii modestia, qui nihil de aetate Homero antiquiore se scire ingenue confitetur cf. commentt. soc. Gotting. T. 16. p. 217: „Ego quidem, inquit, nunquam tantum mihi sumam, ut non dico annum, sed saeculum, quod initio praecessit belli Troiani, referam, vide quae

Lambec. prodrom. hist. lit. lib. II. p. 168 et Tiedemannus (Griechenlands erste Philosophen p. 11.) laudant." Cui sententiae cum nihil unquam oppositum sit, quod de eius veritate quidquam detrahere queat, nihil in promptu video causae, cur ab ea discedamus. Sed et ipsum, quo bellum Troianum actum est, tempus accurate definiendum cum veteres tum recentiores sollicitos tenuit et ad desperationem propemodum adduxit. Qua de re copiose G. H. Bodeus: Orpheus poetarum antiquissimus Gotting. 1824. p. 56. disputavit atque rem huc perduxit: „Utut autem se habet res, nos ex doctissimorum virorum sententia Homericorum carminum aetatem ad medium saeculum decimum referendam esse censemus. Proinde Orphicam poesin cuius primordia in saeculum decimum tertium inciderunt, sequente aevo excultam esse oportet."

Quid multa? Quandoquidem Pamphus Olene natu minor, qui omnino primus vates hymnorumque poeta fuisse traditur (cf. Paus. VIII. 21, 2 et X. 5, 4.), contra autem Homero antiquior vocatur, ex eo haud sine ulla dubitatione quidem, sed tamen cum similitudine veri quadam colligi potest, Pamphum inter saecula undecimum et duodecimum vixisse. —

Non minus incerta est eius patria, quam alii Thraciam, alii Athenas nominant. Qui Pamphum Atheniensem appellant, nituntur Pausaniae testimonio, qui IX. 27, 2 dicit: ante Homerum ἔπη καὶ ὕμνους Pamphum composuisse, quos Lycomidae cum hymnis Olenis et Orphei inter sacra Eleusinia decantarint, a quorum daducho Pausanias illorum lectionem sese impetrasse testatur. Lycomidarum vero honoratissima Athenis familia fuit, quae originem a Lyco, Pandionis filio, derivabat, quod ideo moneo, quoniam propterea Pamphus Atheniensis habetur. G. Hermannus autem, vir clarissimus, in epistola III. ad amicum eruditissimum Creuzerum hanc ratiocinationem improbat et hanc fere in medium profert sententiam: Pamphum non fuisse Atheniensem, quoniam pro Atheniensibus quidem eum hymnos scripsisse referentes antiqui disertis verbis dicunt ipsum Athenis non esse ortum. Itaque Hermannus Pamphum sicut Orpheum et Musaeum in

Thraecum veterum numero esse habendum conclusit. Sed has duas sententias primo aspectu inter sese discrepantes coniungi posse, mea quidem est opinio: antequam vero, quae ipse sententiam de hac re, exponam, brevi dicendum puto, quas regiones antiquissimis temporibus illud nomen Thraciae non semper sibi constans comprehensas tenuerit, quod antehac valde obscurum nostra demum aetate evidenter a viris doctis explicatum est.

Antequam Dorienses in Peloponnesum migrarent, Thraciae nomen in omnium ore versabatur ad eas regiones indicandas, quibus postea Macedoniae seu Emathiae nomen est inditum cf. Strab. p. 321 (Meinek.) et Hom. Jl. XIV. 225. Eodem Thraciae nomine appellabantur Thessaliae quoque partes atque imprimis regiones circa Olympum sitae Pieriaque cf. Strab. 471. Porro memoriae traditum est, Thraces olim non solum Phocidis loca circa Daulidem et Parnassum incoluisse, sed etiam eas regiones, quae prope Heliconem, celeberrimam Musarum sedem, sitae sunt. Antiquissimis temporibus eam Atticae partem, quae prope Eleusinem est, Thraces tenuisse dicuntur. Thraces Boeotios auxilio aliquando duce Eumolpo Eleusiniis contra Erechtheum, regem Athenarum, venisse memoriae tradunt: Strab. p. 383 et Eurip. fragm. Erechth. I. 51. p. 442. (Beck.) Huiuscemodi aliud quid narrat Thucyd. II. 29: Tereum, Thraecum Dauliorum regem, Pandionis filiam in matrimonio habuisse. Cum igitur constet, serioris Thessaliae et Boeotiae montium iuga, Olympum, Pierum, Libethrum, Pindum, Pimplam, Heliconem, Cithaeronem, vicinae Phocidis Parnassum sub Thraciae nomine aliquando latuisse, iam ultro intellegitur, ubicunque de Thracibus, primis Musarum cultoribus et poesis inter Graecos auctoribus sermo est, non posse nisi de his locis cogitari, ad quae omnium antiquissimarum fabularum patria et sedes pertinet, non vero ad Thraces, quales posteriorum temporum Thraciam habitabant. Longum est omnia eiusmodi enarrare; sed si quis plura desideret, talia et similia inveniet apud G. W. Nitzschium: additament. ad hist. epic. poes. Graec. Lips. 1802. p. 35.

Itaque Pamphus aliique poetae antiquissimi, si vulgo Thraces habentur, haec nomina aut ad eadem loca, de quibus modo fusius disputabimus, aut ad Atticam spectant, ut eodem iure Pamphus Pausania potissimum auctore Atheniensis quidem, ex vetere tamen Thraciae gente ortus fuisse putetur.

CAPUT III.

DE HYMNIS QUI PAMPHO TRIBUUNTUR.

Certissime scimus, primam Graecorum poesim a cultu deorum ducendam esse atque quasi religionis fuisse alumnam. Simulatque enim de veterum Graecorum historia certi aliquid audivimus, numina ab iis coli atque sacrorum initia eorumque prima fundamenta poni comperimus. Nam hoc populorum fere omnium proprium est, ut eos, quibus solis vitae cultum bonaque omnia debent, omnibus honoribus, quibuscunque pro superstitionum facultate valent, deos venerentur. Neque solum de beneficiis acceptis gratias referunt, sed etiam bona nova a diis precibus petunt, quibus carminibus ad laudem illorum prolatis benevolentiam sectantur. Manifestum est, in his carminibus hymnorum principia elucere. Quomodo omnium populorum poesis initia non tam exculta, sed ut poetae verbis utar, rudis indigestaque moles erant, ita apud Graecos talia nobis traduntur, *αὐτοσχεδιάσματα* dico, quae carmina primis temporibus in laudem dei alicuius e sacerdotum divino quodam afflatu praeditorum ore emanantia *ὕμνοι* vocabantur. Paulatim subtiles distinctiones horum carminum extiterunt, quas hic silentio praetermittere licet. Qua de re etiam veterum similes sententiae et opiniones erant. cf. Plat. legg. III. p. 700 et Sympos. p. 177 A. — Menand. de Encom. I. *ὅτε μὲν ἔπαινος γίνεται, εἰς θεοὺς ὕμνους καλοῦμεν.* — Schol. Soph. Elect. 385. — Procl. apud Phot. p. 522: *καὶ εἰς θεοὺς μὲν ἀναφέρεσθαι ὕμνον* cfr. Spanh. observ. in Callim. praef. et init. h. in Iovem.

Thraeum veterum numero esse habendum concluseit. Sed has duas sententias primo aspectu inter sese discrepantes coniungi posse, mea quidem est opinio: antequam vero, quae ipse sentiam de hac re, exponam, brevi dicendum puto, quas regiones antiquissimis temporibus illud nomen Thraciae non semper sibi constans comprehensas tenuerit, quod antehac valde obscurum nostra demum aetate evidenter a viris doctis explicatum est.

Antequam Dorienses in Peloponnesum migrarent, Thraciae nomen in omnium ore versabatur ad eas regiones indicandas, quibus postea Macedoniae seu Emathiae nomen est inditum cf. Strab. p. 321 (Meinek.) et Hom. Jl. XIV. 225. Eodem Thraciae nomine appellabantur Thessaliae quoque partes atque imprimis regiones circa Olympum sitae Pieriaque cf. Strab. 471. Porro memoriae traditum est, Thraces olim non solum Phocidis loca circa Daulidem et Parnassum incoluisse, sed etiam eas regiones, quae prope Heliconem, celeberrimam Musarum sedem, sitae sunt. Antiquissimis temporibus eam Atticae partem, quae prope Eleusinem est, Thraces tenuisse dicuntur. Thraces Boeotios auxilio aliquando duce Eumolpo Eleusiniis contra Erechtheum, regem Athenarum, venisse memoriae tradunt: Strab. p. 383 et Eurip. fragm. Erechth. I. 51. p. 442. (Beck.) Huiuscemodi aliud quid narrat Thucyd. II. 29: Tereum, Thraeum Dauliorum regem, Pandionis filiam in matrimonio habuisse. Cum igitur constet, serioris Thessaliae et Boeotiae montium iuga, Olympum, Pierum, Libethrum, Pindum, Pimplam, Heliconem, Cithaeronem, vicinae Phocidis Parnassum sub Thraciae nomine aliquando latuisse, iam ultro intellegitur, ubicunque de Thracibus, primis Musarum cultoribus et poesis inter Graecos auctoribus sermo est, non posse nisi de his locis cogitari, ad quae omnium antiquissimarum fabularum patria et sedes pertinet, non vero ad Thraces, quales posteriorum temporum Thraciam habitabant. Longum est omnia eiusmodi enarrare; sed si quis plura desideret, talia et similia inveniet apud G. W. Nitzschium: additament. ad hist. epic. poes. Graec. Lips. 1862. p. 35.

Itaque Pamphus aliique poetae antiquissimi, si vulgo Thraces habentur, haec nomina aut ad eadem loca, de quibus modo fusius disputabimus, aut ad Atticam spectant, ut eodem iure Pamphus Pausania potissimum auctore Atheniensis quidem, ex vetere tamen Thraciae gente ortus fuisse putetur.

CAPUT III.

DE HYMNIS QUI PAMPHO TRIBUUNTUR.

Certissime scimus, primam Graecorum poesim a cultu deorum ducendam esse atque quasi religionis fuisse alumnam. Simulatque enim de veterum Graecorum historia certi aliquid audivimus, numina ab iis coli atque sacrorum initia eorumque prima fundamenta poni comperimus. Nam hoc populorum fere omnium proprium est, ut eos, quibus solis vitae cultum bonaque omnia debent, omnibus honoribus, quibuscunque pro superstitionum facultate valent, deos venerentur. Neque solum de beneficiis acceptis gratias referunt, sed etiam bona nova a diis precibus petunt, quibus carminibus ad laudem illorum prolatis benevolentiam sectantur. Manifestum est, in his carminibus hymnorum principia elucere. Quomodo omnium populorum poesis initia non tam exculta, sed ut poetae verbis utar, rudis indigestaque moles erant, ita apud Graecos talia nobis traduntur, αὐτοσχεδιάσματα dico, quae carmina primis temporibus in laudem dei alicuius e sacerdotum divino quodam afflatu praeditorum ore emanantia ὕμνοι vocabantur. Paulatim subtiles distinctiones horum carminum extiterunt, quas hic silentio praetermittere licet. Qua de re etiam veterum similes sententiae et opiniones erant. cf. Plat. legg. III. p. 700 et Sympos. p. 177 A. — Menand. de Encom. I. ὅτε μὲν ἔπαινος γίνεται, εἰς θεοὺς ὕμνους καλοῦμεν. — Schol. Soph. Elect. 385. — Procl. apud Phot. p. 522: καὶ εἰς θεοὺς μὲν ἀναφέρεσθαι ὕμνον cfr. Spanh. observ. in Callim. praef. et init. h. in Iovem.

Inter divinos illos vates, qui hymnos in laudem deorum composuisse dicuntur, Pamphus noster numerandus est. Profecto autem non mirum esse potest, horum carminum perexiguas tantum reliquias ad nostram aetatem pervenisse. Ut enim luce solis lumen lucernae offunditur, sic pristina illa poemata soli quippe memoriae tradita nitore Homerico obscurata evanuerunt. Quanquam de carminibus Pamphi omnibus nullum ad hoc tempus pervenit, ex quo, qua aetate composita sint, satis certe concludi possit, tamen numina, in quorum laudem erant confecta, Pausaniae et Philostrati testimoniis nobis traduntur. Hymnos vero composuisse Pamphum disertis verbis dicit Pausanias VII. 21, 3: *Πάμφως δὲ, ὃς Ἀθηναίοις τοὺς ἀρχαιοτάτους ὕμνων ἐποίησεν* .... et IX. 29, 3: *Πάμφως δὲ, ὃς Ἀθηναίοις τῶν ὕμνων ἐποίησε τοὺς ἀρχαιοτάτους* .... Ex nominibus deorum, qui a Pampho laudibus elati sunt, ut aliquid naturae et indolis illius priscae poesis extricare possimus, nunc nobis curandum est. Itaque a re nostra non alienum erit, singula testimonia conferre, quae carmina a Pampho condita memorant. Priusquam singula respicimus, breviter dicam, persuasum nobis esse Pausaniam etiamsi iis omnibus locis, ubi de Pampho agit, non expressis verbis hymnos memorat, tamen de hymnis cogitasse, pro qua sententia faciunt et testimonia ipsius Pausaniae modo allata et quod scimus illo tempore hoc poesis genus cultum esse.

§. 1. *Εἰς Δήμητρα.*

Omnium hymnorum carmen in Cererem gravissimum fuisse videtur, quamobrem locum teneat primum, quippe quocum alii hymni plus minusve coniungi possint. Hunc hymnum Pausan. I. 39, 1 memorat: *Ἑτέρα δὲ ὁδὸς ἐξ Ἐλευσῖνος πρὸς Μέγαρα ἄγει· ταύτην ἐρχομένοις τὴν ὁδὸν, φρέαρ ἐστὶν ἄνθινον καλούμενον· ἐποίησε δὲ Πάμφως ἐπὶ τούτῳ τῷ φρέατι καθῆσθαι Δήμητρα μετὰ τὴν ἁρπαγὴν τῆς παιδὸς, γραῒ εἰκασμένην· ἐντεῦθεν δὲ αὐτὴν ἅτε γυναῖκα Ἀργείαν* [1])

[1]) Hom. hymn. in Cerer. v. 123: νῦν αὖτε Κρήτηθεν ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης.... Qua de differentia cf. Baumeist. hymn. Homer p. 296.

ὑπὸ τῶν θυγατέρων τῶν Κελεοῦ κομισθῆναι παρὰ τὴν μητέρα, καὶ αἱ τὴν Μεγάνειραν οὕτω πιστεῦσαι τοῦ παιδὸς ἀνατροφήν. Ab eodem Pausania de eodem Pamphi hymno dicitur VIII. 37, 6, ubi Proserpinae mentio fit; nam opus est, ut in cantibus mysteriorum, ubi de Cerere agitur, Proserpinae etiam commemoratio fiat, cum artissime cohaereret utriusque cultus. Pausaniae verba haec sunt: ταύτην μάλιστα θεῶν σέβουσιν οἱ Ἀρκάδες τὴν Δέσποιναν· θυγατέρα δὲ αὐτὴν Ποσειδῶνος εἶναί φασι καὶ Δήμητρος· ἐπίκλησις ἐς τοὺς πολλούς ἐστιν αὐτῇ Δέσποινα, καθάπερ καὶ τὴν ἐκ Διὸς Κόρην ἐπονομάζουσιν, ἰδίᾳ δέ ἐστιν ὄνομα Περσεφόνη, καθὰ Ὅμηρος καὶ ἔτι πρότερον Πάμφως ἐποίησαν· τῆς δὲ Δεσποίνης τὸ ὄνομα ἔδεισα ἐς τοὺς ἀτελέστους γράφειν. De cognomine Δέσποινα filiae Cereris et Neptuni cfr. Preller. Demeter und Persephone 1837 p. 384.

Quem hymnum Homericus ille eidem deae dicatus velut archetypum secutus esse videtur. cf. Sickler l. l. p. 54. Itaque argumentum huius hymni Homerici, quem in bibliotheca Moscoviensi repertum Ruhnkenius primus in lucem protulit, breviter exponere liceat. Proserpina cum in Nysio campo ludens cum Oceani filiabus flores colligebat, a Plutone inscia matre rapitur, nec quisquam eam miseros clamores profundentem audiverat praeter Solem et Hecaten. Ceres autem filiam quaerens terras et maria peragrat et, cum a Sole filiae raptorem comperisset, Eleusina pervenit, quae urbs tunc in Celei ditione erat. Ibi his omnibus calamitatibus afflicta, aniculae specie induta, sub oleae umbra ad Parthenium [2]) fontem consedit. Ceres a Celei filiabus comiter excepta in aedibus regis munere nutricis fungitur. Sequitur Demophontis educatio, templi ac sacrorum Cereris ad fontem Callichorum [2]) conditorum descriptio, Proserpinae reditus ex inferis ac Cereris cum diis hominibusque reconciliatio. In fine huius hymni poeta beatissimos eos fore praedicat Cereris filiaeque eius

---

[2]) de hoc fonte cf. Preller l. c. p. 101. Annot. 57; et A. Baumeister. hymn. Homer. Lips. 1860. p. 292.

amorem sibi conciliaturos. Praeterea eandem fere narrationem invenies apud Apollod. bibl. myth. I. 5. Hygin. fab. 146. 147. Ovid. fast. IV. 554 sqq. Comparatio huius hymni Homerici cum Pamphi hymno vel rectius cum iis, quae Pausanias ex eo nobis servavit, apta mihi videtur esse, ut noster Pamphi hymnus clarior appareat; nam praeter similitudinem aliae quoque res inveniuntur, quae Homerico carmini prorsus adversantur. Primum quod attinet ad Celei filiarum nomina, quibus Ceres sacrorum curam iniunxit, Pausanias I. 38, 3 longe alia nomina praebet, atque ille hymnus Homericus. Qui vero haec diversitas nostro proposito, Homerum sive auctorem h. H. Pamphum esse imitatum, accommodari potest? Singulorum testimonia et iudicia perpendamus. Pausaniae I. 38, 3 verba haec sunt: *τὰ δὲ ἱερὰ τοῖν θεοῖν Εὔμολπος καὶ αἱ θυγατέρες δρῶσιν αἱ Κελεοῦ. Καλοῦσι δὲ σφᾶς Πάμφως τε κατὰ ταὐτὰ καὶ Ὅμηρος, Διογένειαν καὶ Παμμερόπην καὶ τρίτην Σαισάραν.*

Atqui in H. H. v. 108 non tres, sed quattuor filiae Celei nominantur et plane diversis nominibus:

Τέσσαρες, ὥστε θεαί, κουρήϊον ἄνθος ἔχουσαι
Καλλιδίκη καὶ Κλεισιδίκη, Δημώ τ' ἐρόεσσα
Καλλιθόη θ', ἣ τῶν προγενεστάτη ἦεν ἁπασῶν.

Priusquam hanc rem diiudicamus, primum hic de explicationibus horum nominum, quas Sickler l. l. p. 111 ex lingua Hebraica derivavit, dicere nobis licet, eas non esse nisi argutias longe arcessitas.

De nominum illa discrepantia iam diu magna erat inter viros doctos dissensio. In recentissima hymnorum Homericorum editione Baumeisterus Lips. 1860 p. 293, cum impugnatis eis virorum doctorum opinionibus, quae alicuius momenti esse viderentur, aliam explicationem protulerit, liceat mihi verba illius viri hic afferre: „Ego autem non video, cur periegetam non statuamus in re pusilla memoria lapsum esse; id enim, quod nobis singulis diebus usu venit, illi semel accidisse mirum non est.“

Quod Baumeisterus voluit, Pausaniam in lapsum memoriae incidisse, aut liberius coniecisse videtur aut parum finite dixisse. Ut de hac re, numquid statui possit, cognoscamus, hosce quibus diversitas illa oriri potuerit, modos oportet distinguere. Eundem qui nunc exstat, hymnum Homericum Pausaniae obversatum esse, ex eo manifestum fit, quod tres versus ex hymno Homerico (vv. 474 sqq.) ad verbum perscripsit II. 14, 2: *ἔστι γὰρ καὶ Ὁμήρῳ πεποιημένα ἐς Δήμητρα, ἐν δὲ αὐτοῖς καταλέγων τοὺς διδαχθέντας ὑπὸ τῆς θεοῦ τὴν τελετὴν Δυσαύλην οὐδένα οἶδεν Ἐλευσίνιον· ἔχει δὲ οὕτω τὰ ἔπη.*

Δεῖξεν Τριπτολέμῳ τε Διοκλεῖ τε πληξίππῳ
Εὐμόλπου τε βίῃ, Κελεῷ θ' ἡγήτορι λαῶν
Δρησμοσύνην ἱερῶν, καὶ ἐπέφραδεν ὄργια πᾶσιν.

Iam vero si eam, quae nunc est, hymni Homerici conditionem accuses, de mero mendo cogitare vix queas, cum in versibus propter metrum vocabula ad arbitrium mutari non possint.

Num vero hymnus hoc loco post Pausaniae aetatem ita corruptus sit, ut viri docti alteram quandam Celei filiarum memoriam ex aliis fontibus haustam in versus redigerent restituerentque, in medio relinquo.

Quid autem, si tota haec dissensio aut Pausaniae ad culpam aut ad depravatos, qui hodie extent, libros referenda sit? De librarii quidem errore propterea tacendum, quod, quomodo in una re non solum, quoad numerum, sed etiam in nominibus ipsis non semel, sed ter errare potuerit, perspici non potest.

Paullo facilius nascatur suspicio, librarium verbis: *Πάμφως τε κατὰ ταὐτὰ καὶ Ὅμηρος ....*, quae iam depinxerat, servatis nihilo secius et in numero et in nominibus indicandis non Homerum, sed aliam narrationem esse secutum. Tam enim et impie et negligenter cum scriptoribus uno eodemque loco ab uno eodemque librario saepe actum esse nemo nescit.

Sed tamen haud scio an probabilius Pausaniam ipsum reum faciamus, qui Homerum secuturus eius tamen opinio-

nem cum altera et numeri et nominum narrandorum consuetudine confuderit.

Alios enim alias per regiones viris feminisque, quae aliquas in rebus mythologicis agerent partes, saepe numero tribui solitos fuisse patres, matres, filios filiasque tam notum est, ut simile aliquid in nostra quoque fabula accidisse non est, quod prorsus neges.

Eundem Pamphi hymnum nominat Pausanias, ubi Narcissi floris antiquitatem Pamphi, non Homeri, qui narcissum itidem commemorat, testimonio comprobat. Hinc facile colligitur, Homerici hymni auctorem Pamphi imitatorem fuisse, ita ut non solum totum istius hymni argumentum, sed etiam res minoris ponderis sit imitatus. In illo igitur numero hanc narrationem habendam esse puto, cuius Paus. IX. 31. 6 commonet: *Νάρκισσον δὲ ἄνθος ἡ γῆ καὶ πρότερον ἔφυεν, ἐμοὶ δοκεῖν, εἰ τοῖς Πάμφω τεκμαίρεσθαι χρή τι ἡμᾶς ἔπεσι· γεγονὼς γὰρ πολλοῖς πρότερον ἔτεσιν ἢ Νάρκισσος ὁ Θεσπιεὺς, Κόρην τὴν Δήμητρός φησιν ἁρπασθῆναι παίζουσαν καὶ ἄνθη συλλέγουσαν· ἁρπασθῆναι δὲ οὐκ ἴοις ἀπατηθεῖσαν, ἀλλὰ ναρκίσσοις.* Eodem flore, narcisso, Proserpina dolo decepta Plutonis abripitur apud h. H. v. 8, qua de re cf. Baumeist. p. 281.

Constat hunc florem a veterrimo poeta nominatum esse ob eam tantum causam, quod ei odor fere intolerabilis (*ναρκᾶν*) atque frigida et letalis, ut ita dicam, pulchritudo est, qua re cum Orco propinquitatem quandam habere dicitur. [3])

Itaque iustissime concluditur, et Pausaniam de sancta illius Pamphi hymni vetustate non dubitasse et ab hymni in Cererem Homerici auctore illud Pamphi carmen tanquam exemplar assumptum aliosque fortasse etiam fontes adhibitos esse.

§. 2. *Εἰς Ἄρτεμιν*

Quoniam mirum apparere potest, quod Pampho, sacerdoti mysteriorum Eleusiniorum, hymni non solum in Cereris lau-

---

[3]) Sophocl. Oed. Col. 681. cf. Preller. Cer. et Proserp. p. 253.

dem compositi, sed etiam in alios deos facti adscribantur, operam navabo ut coniunctionem horum deorum, quae cum Cerere et Proserpina fuerit, ostendam.

Pamphum Dianae quoque hymnum dedicasse et primum nomen Καλλίστην dedisse Pausanias apertis verbis narrat VIII. 35. 7: δοκεῖν δέ μοι καὶ Πάμφως μαθών τε παρὰ Ἀρκάδων, πρῶτος Ἄρτεμιν ἐν τοῖς ἔπεσιν ὠνόμασε Καλλίστην. Arcadia Dianae omnium terrarum gratissima erat, quippe quae abundaret saltibus silvisque, rivis et fluminibus ibique dea nymphis comitantibus valde gaudebat venatione.[4]) Quin Arcades ab hac Diana genus suum ducebant,[5]) quam sub nomine „Καλλίστη" Lunam ipsam venerabantur, quo cognomine dea posterioribus quoque aetatibus nuncupatur.[6]) Qua re nisi iudicio lapsi sumus, factum est, ut Pausanias l. supra c. Pamphum ab Arcadibus hanc Dianae significationem accepisse diceret. Relinquitur, ut explicemus, qua ratione Dianae cultus cum Cereris coniungendus sit. Quodsi Diana Δέσποινα (cf. Paus. VIII. 10, 4 et 37, 4) vocatur, qualis Dea procreationis munere fungens necessitudinem quandam cum Cerere et Proserpina habebat, minime mirandum est, quod inter alias comites Proserpinae in prato illo ludentis Diana quoque nominatur in H. H. in Cerer. v. 425.

Παλλάς τ' ἐγρεμάχη καὶ Ἄρτεμις ἰοχέαιρα.

Minervam et Dianam ob commune virginitatis studium una cum Proserpina flores legisse plurimi auctores consentiunt.[7])

---

[4]) Odyss. VI. 102. Verg. Aen. I. 498.

[5]) O. Mueller. prolegg. ad Mythol. p. 73 sqq.

[6]) Sappho. apud Paus. I. 29, 2; atque mulieres et virgines eximiae pulchritudinis plerumque cum Diana comparabantur cf. Odyss. IV. 122. XVII. 36. XIX. 54. VI. 151.

[7]) Diod. Sic. V. p. 332. Paus. VIII. 31. 1. Valer. Flacc. V. 345. Stat. Achill. II. 150. Claudian. de rapt. Proserp. I. 227; quanquam hic Venerem quoque Proserpinae comitem dedit, secutus fortasse Orpheum Arg. 1197 (Herm.)

Ὡς ποτε Φερσεφόνην τέρεν' ἄνθεα χερσὶ δρέπουσαν
Ἐξάπαφον συνόμαιμοι ἀν' εὐρύ τε καὶ μέγα ἄλσος.

cf. quae ad hunc locum Gesner. in adnotatt. addidit.

Itaque non est, quod nos offendat, cum Ceres et Proserpina prae ceteris omnibus a Pampho, socio gentis sacerdotalis Eleusinine, celebratae sint, Dianam quoque carminibus esse honoratam.

§. 3. Εἰς Ποσειδῶνα.

Tertium Pamphi hymnum in Neptunum indicat Paus. VII. 21, 3 quo ex hymno unus tantummodo versus superstes est:

ἵππων δε δμητῆρα (δωτῆρα Bekk.) νεῶν τ' ἰθυκρηδέμνων.

Age iam videamus, quaenam Neptuni cum Cerere coniunctio sit. Audiamus, quae Preller. mythol. Graec. I. p. 467 dicit: „Persephone hiess mit ehrfurchtsvoller Andeutung Δέσποινα d. i. die Herrin und eine Tochter der Demeter Ἐρινύς d. i. der zürnenden und grollenden mit der eigenthümlichen Wendung, dass nicht Zeus, der milde und befruchtende Regengott, sondern Poseidon, der stürmische Gott der Fluthen, der Vater des Demeterkindes sei, [8]) und dass er ihrer Mutter Gewalt angethan habe, [9]) wesswegen sie hier als grollende Erdgöttin gedacht wurde."

Sin adhuc Neptuno et Telluri commune oraculum fuisse reputamus, certe non absurdum est, Pamphum indicante Pausania carmina in Neptuni honorem panxisse.

§. 4. Εἰς Δία.

Quartum hymnum, quem Pamphus in Iovem fecit, memoratum eiusque fragmentum nobis servatum invenies apud Philostrat. Heroic. p. 666 (Morell.) ubi de Protesilao agit dicens: Ὀρφέα ἐν πολλοῖς τῶν κατὰ τὴν θεολογίαν ὑπερῆρε· Μουσαῖον δὲ ἐν ᾠδαῖς χρησμῶν. Καὶ μὴν καὶ Πάμφω σοφῶς μὲν ἐνθυμηθέντος ὅτι Ζεὺς εἴη τὸ ζωογονοῦν καὶ δι' οὗ ἀνίσταται τὰ ἐκ τῆς γῆς πάντα, εὐηθέστερον δὲ χρησαμένου τῷ λόγῳ καὶ καταβεβλημένα ἔπη ἐς τὸν Δία ᾄσαντος· ἔστι γὰρ τὰ τοῦ Πάμφω ἔπη

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε θεῶν εἰλυμένε κόπρῳ
Μηλείῃ τε καὶ ἱππωείῃ καὶ ἡμιονείῃ·

τὸν Ὅμηρόν φησιν ἐπάξιον τοῦ Διὸς ᾆσαι ὕμνον

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε κελαινεφὲς αἰθέρι ναίων.

---

8) Pausan. VIII. 27, 2.

9) Pausan. VIII. 25, 4.

Qui duo versus sine iusta causa adscripti sunt Orpheo a Gregor. Nazianz. in Iul. s. or. 3. p. 104. A.: *Ὀρφεὺς παρίτω μετὰ τῆς κιθάρας, καὶ τῆς πάντα ἑλκούσης ᾠδῆς. ἐπιβρεμέτω Διῒ τὰ μεγάλα καὶ ὑπερφυῆ τῆς θεολογίας ῥήματα καὶ νοήματα.*

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε θεῶν εἰλυμένε κόπρῳ e. q. s. *ἵν' ἐντεῦθεν, οἶμαι, δειχθῇ τὸ ζωογόνον τοῦ θεοῦ καὶ φερέσβιον.* Sed rectius atque acutius, ut visum est Nicolao Loensi Epiphyll. lib. II. cp. 1., Philostratus, ubi Orpheo, Pampho, Musaeo anteponit Homerum, hos versus Pampho tribuit. [10])

Quam ob rem I. H. Vossius (hymn. in Cerer. p. 7) versum, quem ex hymno in Iovem Philostratus servavit, ineptum atque magis obscoenum esse dicat Orphei illo *ψευδόμαντι* in fabula, quae de lasciva Baubone narratur, equidem intellegere non queo. Sane voci *κόπρῳ* apud veteres plerumque aliquid contemptionis inest, sed Iovem hoc loco *χθόνιον* [11]) accipiendum esse apertum est, qui non inferiorum tantum supremus ac mortis terrificae, [12]) verum etiam deus cum procreationi favens conspicuus erat, [13]) tum divitiis, quare in universum *Πλούτων* appellatur, quae significatio primum apud Atticos poetas invenitur. Itaque intellegetur, hocce nomen ex Eleusiniis mysteriis, nisi fallor, derivatum esse. [14]) Proserpinae quidem communes significationes illae sunt, idcircoque dicitur *καρποποιὸς παῖς Δήμητρος*. [15]) Quae cum ita sint, neutiquam absurdum apparebit, Pamphum, quem praecipuum Cereris ac Proserpinae cultorem cognovimus, hymnum in Iovis *χθονίου* quoque honorem finxisse, quippe qui cum

---

10) Hermann. Orphic. p. 489 et Lobeck. Aglaoph. p. 745.

11) Χθόνιον cf. Paus. II. 2, 7 et V. 14, 6.

12) Il. IX. 457: Ζεύς τε καταχθόνιος καὶ ἐπαινὴ Περσεφόνεια cf. Schol. Il. IX. 158. Eustath. p. 744. — Qualis Proserpina severa ac terribilis, abhorrens vitam, cui ipsa interdum manum infert, praeter Iovem χθόνιον insedit cf. Horat. Od. I. 28, 19. II. 13, 21. Verg. Aen. IV. 698. Pindar. Ol. XIV. 20: μελαινοτείχης δόμος Φερσεφόνης.

13) Hesiod. op. et d. 465: εὔχεσθαι δὲ Διὶ χθονίῳ Δημήτερί θ' ἁγνῇ.

14) Preller myth. graec. I. p. 497.

15) Eurip. Rhes. 964.

Proserpina artissimis familiaritatis et imperii vinculis coniunctus esset. Versum modo allatum ex casci ac simplicis poetae ore fluxisse, qui propria dei inprimis res naturae et vires, quatenus prosint germinantibus ac crescentibus plantis, promit, nemini non perspicuum erit.

§. 5. *Εἰς Ἔρωτα.*

Eiusdem poetae alius hymnus de Cupidine a Paus. IX. 27, 2 refertur his verbis: *Ὠλῆνος δὲ ὕστερον Πάμφως τε ἔπη καὶ Ὀρφεὺς ἐποίησαν· καί σφισι ἀμφοτέροις πεποιημένα ἐστὶν εἰς Ἔρωτα, ἵνα ἐπὶ τοῖς δρωμένοις Λυκομῆδαι καὶ ταῦτα ᾄδωσιν· ἐγὼ δὲ ἐπελεξάμην ἀνδρὶ ἐς λόγους ἐλθὼν δᾳδουχοῦντι, καὶ τῶν μὲν οὐ πρόσω ποιήσομαι μνήμην. Ἡσίοδον δὲ ἢ τὸν Ἡσιόδῳ Θεογονίαν ἐσποιήσαντα οἶδα γράψαντα, ὡς Χάος πρῶτον, ἐπὶ δὲ αὐτῷ Γῆ τε καὶ Τάρταρος καὶ Ἔρως γένοιτο.* I. H. Vossius de hoc hymno in Amoris honorem condito dicit p. 6: „Pamphos erscheint hier jünger als Hesiod durch seinen Hymnus an Eros, da Homer den Gott Eros gar nicht kennt und die hesiodische Theogonie ihn v. 120 und mit Himeros v. 201 in der älteren Form *Ἔρος* anführt.“ Equidem autem puto nunquam fieri potuisse, ut Vossius ea scripsisset, si qua cura et diligentia eandem eiusdem capitis paragraphum legisset, ubi Pausanias artem criticam exercens dicit: „Cupidinem certe vulgus hominum natu deorum minimum et Veneris filium putant. Lycius vero Olen, qui antiquissimos Graecis fecit hymnos, in Lucinae hymno matrem esse Cupidinis Lucinam ipsam dicit.“

§. 6. *Οἰτόλινος.*

Non hymnos solum, sed carmen etiam, quod vocatur *Οἰτόλινος*, a Pampho condita esse Paus. IX. 29, 3 docet: *Πάμφως δέ, ὃς Ἀθηναίοις τῶν ὕμνων ἐποίησε τοὺς ἀρχαιοτάτους, οὗτος ἀκμάζοντος ἐπὶ τῷ Λίνῳ τοῦ πένθους Οἰτόλινον ἐκάλεσεν αὐτόν. Σαπφὼ δὲ ἡ Λεσβία τοῦ Οἰτολίνου τὸ ὄνομα ἐκ τῶν ἐπῶν τῶν Πάμφω μαθοῦσα Ἄδωνιν ὁμοῦ καὶ Οἰτόλινον ᾖσε.* Quod I. H. Vossius l. l. p. 7 de hoc

testimonio dixit: — „Jünger als Saffo zeigt ihn (Pamphos) der Ausdruck *Οἰτολίνος*, Jammerlinos, den nicht jene, wie Pausanias will, IX. 29, 3, dem dunkelen Tempeldichter, sondern er selbst der ruhmvollen Sängerin abborgte.“ — revera parum idoneum est, ut pluribus verbis disputetur. De eadem re verba Sickleri in scripto pluries citato p. 60 hic afferre mihi liceat: Linos, ursprünglich nur ein sanfter Gesang überhaupt, ward durch Pamphos ein Oitolinos oder ein sanfter und milder Todtengesang. Demnach konnte auch Sappho in ihrer Klage um den Tod des Adonis diesen Oitolinos singen e. q. s. Mea sententia de hac re a Pausania narrata est haec: Oetolinos qui hoc loco nominatur, nihil nisi Cereris nenia est, quae de rapta Proserpina queritur, quod carmen lugubre verisimile est in Eleusiniis mysteriis tum cani, cum Ceres faces manibus tenens, clamoribus filiae flebilis auditis, terras et maria pererrat atque *αἴλινον αἴλινον* lamentatur. Quae canendi ratio ipsa ac modus a veteribus crebro *Οἰτόλινος* nuncupatur. cf. Stammer. de Lin. Bonn. 1855. p. 23. Neque iam illud negaverim, huic Lino caerimoniis culto consimilia esse complura Asiani cultus numina, ut Hylas (cf. Muell. Dor. II. 451.), Hyacinthus, Adonis, alia, quae symbola naturae praefloratae habenda sint; quippe in eiusmodi cultibus multa Graecis cum barbaris communia certe fuerunt. Summum percepimus gaudium eo quod nostram opinionem doctrina maxima Prelleri (Ceres et Proserp. p. 261.) comprobatam animadvertimus.

§. 7. *Εἰς Χάριτας.*

Ultimo loco carminum, quae Pamphus in alicuius numinis laudem fecit, ut nominetur hymnus in Gratias, restat, qui tamen neque earum numerum definivit neque nomina apposuit, cf. Paus. IX. 35, 1: *Πάμφως μὲν δὴ πρῶτος ὧν ἴσμεν ᾖσεν ἐς Χάριτας, πέρα δὲ οὔτε ἀριθμοῦ πέρι οὔτε ἐς τὰ ὀνόματά ἐστιν οὐδὲν αὐτῷ πεποιημένον.*

Haec sunt numina, in quorum honorem hymni a Pampho conditi esse dicuntur. Quam poesim Pausanias his omnibus locis sub Pamphi nomine complexus est, ad deorum cultum

inprimisque ad eorum laudem spectat. Neque verisimile est, alia eum composuisse carmina. Nam quae a Paus. IX. 27. 2 afferuntur *ἔπη* ea ipsa ab hymnis non distant. Quibus peractis reliquum est, ut ex his omnibus testimoniis imaginem Pamphi, quantum fieri potest, quandam adumbremus.

Itaque Pamphus in priscorum illorum sacerdotum ordine habendus est, qui non solum sacerdotali munere fungebantur, verum etiam poetica indole quadam praediti erant, qua altius res divinas introspiciebant et carminibus ad deorum honores celebrandos cum populo communicabant. Pamphus autem noster praecipuum studium ad Eleusinia mysteria carminibus illustranda convertisse videtur, quod e singulari momento a Pausania in hymno Cereris posito recentiorumque virorum doctorum iudicio sequitur, inter quos potissimum Sickleri (l. l. p. 54) mentionem facere oportet. Sed praeter hunc hymnum in Cererem alios quoque hymnos in alios deos a Pampho esse conditos Doellinger. meo quidem iudicio in praestanti et ingenioso libro (Heidenthum und Judenthum. Regensb. 1857.) suo recte statuit, et ita explicavit, alia numina exceptis Eleusiniorum mysteriorum deabus tunc ab illorum initiorum poetis culta carminibusque celebrata esse; ad quam illius Doellingeri sententiam libentius accedo, quia, ut in singulis Pamphi hymnis demonstravimus, plurimi horum deorum cum Cereris fortuna vinculo quodam connexi erant.

Mulieres originem ducere a Pampho apparet e loco Hesychii (cf. Henr. Steph. s. v. *Πάμφως* cf. Prell. Cer. et Pros. p. 384): *Παμφίδες· γυναῖκες Ἀθήνησιν ἀπὸ Πάμφου τὸ γένος ἔχουσαι.* Quanquam autem operam dedi maximam, ut ad eam rem confirmandam argumenta afferre possem, tamen nusquam aliquid certi mihi contigit. Hoc igitur in medio relinquam. Ceterum huius antiquissimi vatis tam pauca fragmenta ad nostram aetatem pervenisse, magnopere dolendum est, quod si integra essent servata carmina, praestantem materiam ad constituendam historiam antiquissimi cultus ingenii Graeci nobis praestarent.

PARS POSTERIOR.

DE MUSAEO.

Quantum veterum testimoniis ad nostra tempora delatis scire licet, Herodorus primus peculiare scriptum de Musaeo edidit; cuius quidem scripti auctor, qualis fuerit, et in quo literarum genere versatus sit, diu multumque inter sese concertarunt viri docti; hodie vero non amplius dubitari potest, quin ad grammaticorum numerum referendus sit, id quod iam Weichertus de Apoll. Rhod. p. 161 aperte demonstravit, ipsum grammaticum quendam Caligula regnante e numero obscuriorum fuisse. Quo in libro quid potissimum voluerit, incertum relinquit veterum silentium. Inscriptus autem erat hic liber: *'Ορφέως καὶ Μουσαίου συγγραφή* (cf. Weichert. l. l. p. 118). Haud dubie varias antiquitatis fabulas collegit, disposuit, huc atque illuc certe ad fidem historicam revocare studuit. Non tam arduus neque difficilis nobis hic labor foret, nisi temporis iniuria hominumve incuria hic liber Herodori periisset, utpote qui vetustatis ratione magni apud nos ponderis esset. Iam in Musaei personam tot commentis oneratam quot sequentibus saeculis in eum congesta esse scimus, animum intendamus oportet.

CAPUT I.

DE MUSAEI NOMINE.

De significanda vi, quae inest priscorum poetarum nominibus, item de ingeniosa derivatione atque explicatione, quam

Sicklerus ex lingua Semitica desumpsit, iam supra in dissert. parte priori disputavimus. De Musaei nomine priusquam, quid nos sentiamus, disceptemus, Sickleri opinionis paucis mentionem facere liceat. Sicklerus enim l. l. p. 64 Musaeum putat aemulatorem imitatoremve Orphei fuisse neque unquam ulli vitae occupationi operam navasse nisi ut Orphica carmina, praecepta, initia praedicaret, et quam Orpheus disciplinam et doctrinam ipse instituisset, Musaei fuisse propagare, divulgare, posteritati prodere et, ut Sickleri ipsius verbi utar: Musaeus war deren Ausspruch für alle Folgezeit. Quae res cum ita sese habeant, nomen Musaeus significat tantum propagationem salutaris disciplinae sive Orphicae doctrinae; quod nomen Sickler. ex lingua Semitica ita derivat: מוֹשֶׂא=מֹשֶׂא oder מוֹשָׂא׳-ין der Aussprecher, die aussprechende, verkündende Kraft, von נָשָׂא erheben, aussprechen, vorbringen, protulit, effatus est, und woher das bekannte מַשָּׂא Prophetia, Ausspruch Gottes und der Propheten מַשְׂאוֹת Prophetiae. Thren. 2. 14. auch Ausspruch mit Gesang. Hiob. 21. 12. Ies. 42. 11. 1. Chron. 15. 22. cf. Castelli Hept. 2417 — 2419. Cui explicationi, quamvis sit subtilis et ingeniosa, tamen accedere nolim, sed simplicius hoc nomen explicandum puto, secutus illam sententiam Goethei nostri:

Protinus vis pervagari?
Ecce adest nobis bonum!

Equidem puto v. *Μουσαῖος* compositam esse v. *Μοῦσα* exitu *αιος* prolongatam, qui plerumque locum indicat, unde aliquid exortum est, sive quo idem spectat, scilicet: *πηγαῖος, κηπαῖος, κρηναῖος*; non diversa nomina gentilia: *Κερκυραῖος, Μηθυμναῖος, Ἀθηναῖος, Θηβαῖος* κ. τ. λ. (cf. Matthiae: Griech. Gramm. I. p. 105. 1. 2. cf. 103. v. Lobeck. Phryn. p. 541 sq. de adiectivis in *αῖος*.) Terminatio aya in skr. quoque significat „cum aliqua re sive cum aliquo stare.“ Itaque Musaeus est vir, cui Musae imprimis favent, quique non suis mentis viribus, sed Musis tanquam pectori ipsius insidentibus carmina fingit. Qua cum nominis explicatione perbene convenit, quod Fulgentius (Verg. continent. p. 760

cf. Aug. van Staver. auctor. mythogr. lat.) dicit: „Sed in Elysiis campis Sibylla primum Musaeum vidit, qui Musarum dono excelsior est omnibus. cf. Verg. Aen. VI. vs. 666. Sed haec hactenus.

CAPUT II.

QUI PARENTES MUSAEI FUERINT.

Musaei qui fuerint parentes, tam diversae sunt opiniones, ut Fabric. bibl. graec. tom. I. p. 120 quasi desperatus exclamaverit: At quis in tantis tenebris veram lucem potest cernere? Nihilo minus nos spes omnino non deficiat, immo confidamus, accuratiori investigatione tantum nos profecturos, ut per haec aspera tandem leniorem viam aperiamus. Inter multa quae nobis de Musaei parentibus exstant testimonia, nunc distinguendum est, quae ad nostram quaestionem alicuius momenti sint et ad inquisitionem parentis vel matris aliquid veri simile continere videantur. Nam plurima eorum tantum ἀλληγορικῶς accipienda sunt, quod ex Graecorum ratione et more, qui clarorum virorum sive heroum sive poetarum originem ad deos, quibuscum et operibus et ingenio aliquid propinquitatis habent, referre solebant, explicandum est. Illa igitur nobis potissimum testimonia spectanda erunt, quae virum genuinum patrem nostro poetae tradiderunt. Iam singula altius intueamur.

Sunt qui Musaeum filium Μήνης vocent cf. Hermes. apud Athen. 13. p. 597 D. (Schweigh. vol. V. p. 161):

Οὐ μὴν οὐδ' υἱὸς Μήνης ἀγέραστον ἔθηκεν
Μουσαῖος Χαρίτων ἤρανος, Ἀντιόπην κ. τ. λ.

et Iustin. Cohort. p. 15. C.

. . . . σὺ δ' ἄκουε φαεσφόρου ἔκγονε Μήνης
Μουσαῖ' . . . .

alii Σελήνης cf. Plat. de rep. II. p. 364 C. et Procl. ad Plat. Tim. I. p. 34. E. (Schneider.); idemque eum appellat

p. 51 B. *Σεληνιακός* his verbis: *ἐπείπερ καὶ ἀπὸ Μουσαίου τοῦ Σεληνιακοῦ τὸ γένος τοῖς ἐν Ἐλευσῖνι τῶν μυστηρίων ἡγουμένοις εἶναί φησι.* Idem invenies apud Serv. ad Verg. Aen. VI. 667 tom. I. p. 395 (Lion.) eum alii Lunae filium volunt et Schol. ad Greg. in Catal. Bodl. p. 17. *Μουσαῖος καὶ Λίνος τοῖς περὶ Ὀρφέα ὁμόχρονοί εἰσιν. Μουσαῖος δὲ Σελήνης λέγεται εἶναι, πρὸς ὃν Ὀρφεὺς ἐπεγράφει.* [16])

Eiusmodi cognationes non temere fictas esse inter omnes constat, sed notum est eas plerumque significare rem, quae modo clarius modo obscurius se nostrae intelligentiae prodit. Certe nemo est, quin statim mente capturus sit, Musaeum non verum et genuinum illis filium haberi, sed potius ob eam tantum causam nostrum poetam Menes sive Selenes filium nominari posse, quod ipse, quemadmodum Luna per caliginem et tenebras dispergit suavissimam lucem, doctrina sua carminibusque salutem ac novum lumen mortalibus attulerit.

Alias explicationes huius cum Luna cognationis vid. apud Heinrichium Epimenid. Cret. Lips. 1801 p. 52 et Creuzer. Symbol. IV. p. 356. [17])

Nihil hic cognationis vincula curemus oportet, quibus plerique poetarum vetustissimorum inter sese coniuncti fuisse traduntur, quae res haud maioris mihi momenti esse videtur, quam si veteres eorundem originem ex Apollinis vel mortalium concubitu cum Musis *ἀειπαρθένοις* duxerunt. Itaque Musaeum ab aliis Eumolpi filium, [18]) ab aliis Lino natum, [19])

---

[16]) Duobus his nominibus eadem dea Luna significatur cf. Preller. mythol. graec. I. 297 et Heffter. relig. Graec. et Rom. p. 139., quod verbum μήνη ille a v. μήν, μάω ducit, sicut mensis non discrepat a v. metior, mensus; σελήνη autem ibi a v. σέλας derivatur.

[17]) Musaeus ist demnach Mondpriester, d. h. Kind der Sphäre, wo die Brücke zwischen Erde und Himmel ist. In diese Mitte sind daher die Eumolpiden gleichsam durch ihre Abkunft gestellt. Als Kinder des Mondes sind sie Mittler. Sie sind die Führer zum Geheimniss (Mystagogen.)

[18]) Diog. Laert. I. 3. (Casaub.) Philochor. ap. Aristoph. ran. 1033. Porphyr. ap. Procl. ad Plat. Tim. p. 51 B. — Pompon. Sabin. ad Verg. Aen. VI. 667.

[19]) Serv. ad Verg. Aen. VI. 667. tom. I. p. 395. (Lion.)

a Thebanis filium Thamyrae, [20]) a Strabone p. 471 et Clem. Alex. strom. I. p. 397 [21]) discipulum Orphei sive a Paus. X. 7, 2. [22]) eiusdem filium vocatum esse nunc silentio praetermittemus ac potius ad sententiam, quam veram esse arbitramur, progrediemur. Paus. X. 5, 3 X. 12. 6 et Androt. apud Schol. ad Soph. Oed. Col. v. 1051 et Suidas s. v. *Μουσαῖος*, quem secuta est Eudocia p. 303 (Villois.) Musaeum appellant Antiphemi sive secundum epicam protractionem Antiophemi filium cf. auctor. Argon. Orph. v. 310 (Herm.) et vide quae St. Crucius recherch. hist. et crit. sur les myst. du Paganisme T. I. p. 117—120 sqq. coniecit. Hanc sententiam duae parvae genealogiae adiuvant, quarum una stirpem huius poetae ab antiquissimis temporibus ita deduxit:

Eumolpus; Ceryx; Eumolpus; Antiphemus;

Musaeus; Eumolpus hierophanta, qui sacra mysteria condidit. [23]) Alteram genealogiam apud Suidam s. v. *Μουσαῖος* et *Εὔμολπος* invenies: *Μουσαῖος Ἐλευσίνιος ἐξ Ἀθηνῶν* est filius Antiphemi, (qui filius Euphemi, nepos Ecphanti, pronepos Cercyonis, quocum bellum gessit Theseus) et uxoris Helenae, qui locus tamen corruptus est; coniectura Passovii v. cl. de Musaeo bene meriti ita sanatus: *ὃν κατεπολέμησεν ὁ Θησεὺς ὑπὲρ τῆς Ἑλένης γυναικός*, qua coniectura accepta Helena mater Musaei prorsus non nominetur.

---

[20]) Suid s. v. Μουσαῖος cf. Welcker: Alte Denkmäler tom. III. p. 465. adnott. 5.

[21]) Lobeck. Aglaoph. p. 353.

[22]) Serv. ad Verg. Aen. VI. 667. (Lion.): alii Orphei, cuius eum constat fuisse discipulum.

Anecdot. Graec. d'Ansse de Villois. T. I. p. 303: μαθητὴς Ὀρφέως. — Iustin. Cohort. p. 15. C.

Nihil aliud diversae quoque duae narrationes indicare videntur, secundum quas lyram, quam a Mercurio fabricatam Apollo Orpheo dederat, Musaeus accepisse fertur. cf. Theon. ad Arat. phaenom. p. 268. et schol. ad Germanic. Arat. T. II. p. 67. Quae fabulae nos de ingenio tantum et arte Orphei et Musaei certiores faciunt, utpote qui Apollinem magistrum secuti ἁρμονίαν quandam in vitam et musicam induxerint.

[23]) Schol. ad Sophocl. Oed. Col. 1051 cf. Heyn. ad Apollod. II. p. 338.

Itaque quam proxime ad veritatem accedere videmur, si statuerimus, genuinum Musaei patrem fuisse Antiphemum, prioribus potissimum testimoniis freti nec tanti has genealogias aestimantes, inprimis cum in illa prorsus fabulosa tempora ascendant atque tota genealogorum ars sine mendaciunculis omnino non constet.[24]) Priusquam autem ad aliam quaestionem transeamus, addere licet, quae Sicklerus l. l. p. 65 de hoc vocabulo *Ἀντίφημος* contenderit: Die uralte Sage bei Pausanias X. 5, 3 berichtet, der Vater des Musaeus sei Antiphemus genannt worden. Dieser Name ist rein Semit. chald., zusammengesetzt aus עֲנָה profatus est, respondit, und פוּם oder פֻּם os, woraus in der Zusammensetzung עֲנָתִי - פֻּמִי - יָן — der vorsprechende Mund, der Vorsprecher entstand. Erinnert man sich hier nur daran, dass es die *τελεταί*, die mysterienvolle Feier und Weihen waren, die Musaeus nach Orpheus fortgeführt haben soll, so wird begreiflich, wie diese hier völlig characteristische Personification in der Person des angeblichen Vaters durchaus nicht fehlen durfte, indem bei alten Institutionen dieser Art das Amt eines Vorsprechenden und in den Cerimonien Unterweisenden bekanntlich höchst nothwendig ist.

Hic quanquam nobis proposuimus de parentibus tantum Musaei disputare, tamen nobis liceat obiter paucis asserere, quae de reliqua poetae familia, quamvis videantur fabulosa tradita, invenimus. De uxore eius Deïope Aristot. mirab. auscult. 131 haec prodit: *Φασὶν οἰκοδομούντων Ἀθηναίων τὸ τῆς Δήμητρος ἱερὸν τῆς ἐν Ἐλευσῖνι περιεχομένην στήλην πέτρας εὑρεθῆναι χαλκῆν, ἐφ' ἧς ἐπέγραπτο „Δηϊόπης τόδε σῆμα" ἣν οἱ μὲν λέγουσι Μουσαίου εἶναι γυναῖκα, τινὲς δὲ Τριπτολέμου μητέρα γενέσθαι.* Musaei amicam Antiopen fuisse testatur Hermesianax in Eleg. v. 15. apud Athen. XIII. p. 597. his verbis: *Οὐ μὴν οὐδ' υἱὸς Μήνης ἀγέραστον ἔθηκε Μουσαῖος, Χαρίτων ἤρανος, Ἀντιόπην.* Filia quoque fuisse Musaeo traditur cf. Auctor mythogr. lat. A.

---

[24]) Lobeck. Aglaoph. p. 324.

van Staver: Fulgent. Verg. continent. p. 760 in adnotatione: Hic Musaeus dicitur habuisse filiam Helenam, quae ante Homerum Troiae excidium cecinit, ut Ptolem. Hephaest. apud Photium testatur p. 482.

CAPUT III.

QUAE FUERIT PATRIA MUSAEI QUAQUE AETATE VIXERIT.

De parentibus Musaei quaestione perfecta iam ad disceptationem de patria instituendam transeamus. De hac quoque re non minus discrepant opiniones ac sententiae, ut alii Thraciam [25]) Musaei patriam vocent, alii Athenas, [26]) alii Eleusinem [27]) appellent.

Quod attinet ad Thraciam, quae patria Musaei traditur, iam priori dissert. parte disputavimus, praeterea cf. Preller. mythol. I. 279. II. 340—342. Item iam disseruimus de studiis Thebanorum, quos ut Thebae Musaei patria nominarentur, honoris causa magnam operam navasse traditur. [28]) Sed restat, ut discernamus, utrum Athenas an Eleusinem fuisse patriam statuamus. In hoc discrimine Passovius aliquantulum dubitasse videtur, utram ad partem accedat, et aegre ab opinione, Eleusine natum esse Musaeum, discessisse, cum dicat p. 10: doch könnte man sich geneigt fühlen, das letztere (Eleusis) anzunehmen, als das bestimmtere, und das erste im Allgemeinen vom attischen Gebiet deuten.

Sed multum interest, utrum Musaeo cognomen Eleusinio tribuas an Eleusinem eius patriam fuisse dicas. Hae fere

---

[25]) Aristox. apud Harpocrat. s. v. Μουσαῖος. p. 112 (Lips. 1824.) et Strab. p. 471.

[26]) Paus. X. 12, 6. I. 25, 6. Pompon. Sab. ad Verg. Aen. VI. 667 et Tertull. apolog. 23. (Rigalt.)

[27]) Harpocrat. s. v. Μουσαῖος. Diodor. Sic. IV. 25.

[28]) Suidas. s. v. Μουσαῖος et Welcker: Alte Denkm. III. p. 465.

sunt causae, quibus Passovio haec res aliquam veri speciem prae se ferre videretur; primum quod Musaeus in mysteriis Eleusiniis sacerdotis munere fungebatur, deinde quod in templo, [29]) cui Athenis sito nomen erat Eleusinio, sacerdos fuisse traditur. [30]) Quae duae res in unum conveniunt: nam si Musaeus Athenis sacerdos erat in templo Eleusinio, in Eleusiniis mysteriis certe munera sacra administrabat, quae mysteria non Eleusine solum, sed etiam in templo illo Athenis sito celebrata esse patet, sicut item templum Eleusinium Spartae fuisse memoratur, in quo Ceres et Proserpina colebantur. [31]) Nulla igitur ratione probatur, Musaeum Eleusine natum esse. Sed de summa Passovii sententiae, Athenas fuisse Musaei patriam, non dubitare sinunt ea quae sequuntur p. 10; id quod ipse aliquibus argumentis firmius stabilire conabor. Musaeum enim Pausaniae testimonio Athenis sacerdotem mysteriorum Eleusiniorum fuisse vidimus, quod aliis quoque argumentis asseveratur. Dicit Pausanias I. 25, 6: „Atheniensibus vero tyrannorum dominatu liberatis non statim Demetrius post Lacharis caedem Piraeum reddidit: quin postea cum bellica vi urbem in potestatem redegisset, praesidio et munitionibus eum locum firmavit, quod Museum appellant. Est autem intra vetus pomoerium (περίβολος) ex arcis regione collis, in quo Musaeum vatem canere solitum atque senectute consumptum ibidem humatum ferunt.“ Quamquam nemo erit, qui omnia, quae Pausanias fabulatur, credat, tamen ex hac narratione certe concludi potest, Musaeum Athenis summam gloriam adeptum eiusque memoriam praecipue cultam esse, quippe qui loco fere omnium pulcherrimo celebraretur. [32]) Huc accedit non solum aliud Pausaniae (X. 12, 6) testimonium, sed etiam Musaei vetus epi-

[29]) Thucyd. II. 17. et Creuzer. Symbol. IV. 333.

[30]) Paus. I. 14, 2.

[31]) Paus. III. 20, 6.

[32]) Welcker: alte Denkm. III. p. 465.

taphium; quod [33]) illum Phaleri mortuum esse his versibus testatur:

Εὐμόλπου φίλον υἱὸν ἔχει τὸ Φαληρικὸν οὖδας
Μουσαῖον, φθίμενον σῆμ' ὑπὸ τῷδε τάφῳ.

Itaque si duos hos locos recte intelleximus, Athenis ipsis duo [34]) tumuli Musaei monstrabantur, ut similia de Homero quoque inveniuntur. [35]) Constat, Musaeum Athenis imprimis a gente Lycomidarum celebratum esse, qui hymnos ab illo compositos decantarunt, qua de re suo loco longius disputabimus. Iure igitur omni colligi posse puto, Lycomidas Musaeum sibi heroem praefecisse eiusque ipsos coluisse tumulum. Id vero quod duo tumuli Athenis nominantur, me in hanc sententiam adduxit, duas fortasse sectas fuisse, quarum utraque Musaeum sibi ducem et exemplar proposuisset et ad stabiliendam contentionem suam inferias illi annuas utraque diversum ad sepulcrum egisset. [36]) Omnino autem sectas fuisse, qui Musaeum principem sequerentur, non infitiaberis, si legeris apud Paus. X. 7, 2: *Ὀρφέα δὲ σεμνολογίᾳ τῇ ἐπὶ τελεταῖς καὶ ὑπὸ φρονήματος τοῦ ἄλλου καὶ Μουσαῖον τῇ ἐς πάντα μιμήσει τοῦ Ὀρφέως οὐκ ἐθελῆσαί φασιν αὐτοὺς ἐπὶ ἀγῶνι μουσικῆς ἐξετάζεσθαι·* et quae Boettigerus [37]) e simili certamine coniecit. Recte enim ille vir in certamine Homeri et Hesiodi (*ἔργα* v. 648 sqq.) contentionem duarum scholarum cernebat.

Sed iam necesse est loquamur de Musaei aetate, quam usque ad hoc omisimus, ne narrationis flumen perturbaretur. Perlustranti plures locos virorum, quibus optima fides est tribuenda, Musaeum ante Homerum vixisse non est infitiandum. Confer primum Clem. Alex. strom. I. 323: *μετὰ*

---

[33]) Schol. ad Aristoph. ran. 1033 et Diog. Laert. I. 3 et Pompon. Sab. l. c.

[34]) Simile de Epimenide narratur cf. Heinrich. p. 127 sq.

[35]) Nitzsch. de histor. Homer. I. p. 127.

[36]) Nitzsch: Beiträge zur Geschichte der epischen Poesie der Griechen. Leipzig 1862. p. 8 und 16.

[37]) Boettiger: Ilithyia oder die Hexe. Weimar 1799. p. 29.

Φημονόην ἔτεσιν ὕστερον εἴκοσιν ὀκτὼ οἱ περὶ Ὀρφέα καὶ Μουσαῖον καὶ Λίνον τὸν Ἡρακλέους διδάσκαλον et Euseb. praepar. evang. X. 4. 469 B. *πρῶτον γοῦν πάντων Ὀρφέα, εἶτα δὲ Λίνον, κἄπειτα Μουσαῖον ἀμφὶ τὰ Τρωικὰ γενομένους ἢ μικρῷ πρόσθεν* cf. Schol. ad Greg. in Catal. Bodl. p. 17: *Μουσαῖος καὶ Λίνος τοῖς περὶ Ὀρφέα ὁμόχρονοί εἰσιν.* — Deinde ita rem sese habere testatur fama, quae fert, Musaeum ubique vatem appellari antiquissimum praeter Orpheum, Linum, Olenem aliosque. Insuper hos poetas non intima solum familiaritate, immo affinitate proxima inter se adstrictos fuisse traditur. Longum est, omnes huc spectantes locos citare, ne inutile repetere cogar, de quibus singulis opusculi partibus uberius disputatur. — Denique ea res satis confirmatur haud paucis inventis, quae Musaeo affigenda esse infra diligentius demonstrabimus. Atqui inventi uniuscuiusque honos ei modo deferri potest, qui his usos anteiverat. Quibus enuntiatis iam redeamus, unde digressi sumus. Confer, cum aetas horum poetarum nondum satis constet, quae de eadem quaestione in dissertatione de Pampho diximus.

CAPUT IV.

DE MUSAEO POETA ALATO.

Licebit hic Pausaniam I. 22, 7 memorare, ubi picturas, quibus paries aedis ad laevam Propylaeorum sitae exornatus erat, accuratius describit: „inter eas picturas, ut puerum omittam hydrias portantem et palaestritam, quem Timaenetus fecit, Musaei imago est; quem ex veterum carminibus cognovi Boreae dono volitasse.“ Quod ornamentum alti ingenii symbolum nobis habendum est cf. Passov. p. 15. Nec discrepat I. H. Vossii sententia epist. mythol. 44. p. 64. ed. II. causamque, cur Boreas potissimum Musaeo illud munus tribuerit, e propinqua Musaei cum Borea cognatione recte repetere videtur Lobeck. Agl. p. 311: Musaeus enim Eumolpi filius,

Eumolpus Boreae ex Chione nepos a plurimis perhibetur. Loco autem illo, modo citato haud dubie Pausanias carmen quoddam laudat ad illustrandam Musaei effigiem, quae alis ornatum eum exhibebat. [38]) Quo autem iure primam volaticorum hominum memoriam ab Onomacrito esse repetendam Lobeck p. 314 ex hoc Pausaniae loco suspicetur, equidem intellegere non possum. Illo enim loco ita argumentatur: nam cum Onomacritus, id quod ex aliis Pausaniae locis apparet, Bacchicorum Orphicorumque mysteriorum esset peritissimus, ex illorum scientia cultuque per symbola significandi ratio ei haud dubie nota erat et consueta; quare mirum esse non potest, eum siquidem huius carminis auctor fuit, ad Musaei afflatum poeticum depingendum tale symbolum adhibuisse. [39]) Itaque ne opus quidem esse videtur illustrandi huius symboli causa deorum et daemonum volaticorum admonere, in mysteriis praesertim frequentium, quos enumeravit Zoëga, [40]) cum alarum imago etiam alias ad animi commotiones significandas adhibita sit, ut in Bacchi apud Amyclaeos cognomine *Ψίλαξ*. [41]) (cf. Voss. epist. mythol. 44. p. 62. ed. II.) vel in fragmento illo Euripidis apud Clem. Alex. strom. IV. fin.

Χρύσεαι δή μοι πτέρυγες περὶ νώτῳ
Καὶ τὰ Σειρήνων ἐρόεντα πέδιλα
Ἁρμόζεται. Βάσομαί τ' ἐς αἰθέρα πολὺν
Ἀερθεὶς Ζηνὶ προσμίξων. —

Quocirca non satis firma mihi videtur ratio, cur ab Onomacrito illam imaginem in poesin introductam putemus. Ut enim concedamus, certa eius ante Onomacritum vestigia non

---

38) Welcker: alte Denkm. III. p. 464.: „Was er dabei anführt, dass nach Onomacritos Boreas dem Musaeus Flügel verliehen habe, ist nicht etwa in Bezug auf das Gemälde gesagt, sondern eine der Zwischenbemerkungen, die er zuweilen in seine Beschreibungen einstreut.“

39) Idem invenies apud auct. Arg. Orph. v. 595 (Herm.) cf. adnotat. Gesneri.

40) Rheinisch. Museum für Philologie. VI. fasc. I. p. 581.

41) Paus. III. 19, 6.

inveniri, atque aëria illa Triptolemi [42]) et Abaridis itinera posterioris esse originis, tamen ita simplex et naturae rebus accommodata est haec imago, ut ad eam usurpandam non potuerit non mature adduci Graecorum ingenium.

Sed antequam huic capiti finem imponamus, vasorum quae nunc Britannicum museum possidet, mentionem breviter facere liceat. [43]) Quibus in vasis duae Musae nominibus *ΤΕΡΨΙΧΟΡΑ*, *ΜΕΛΕΝΟΣΑ* additis, artem musicam poetam *ΜΟΣΑΙΟ* docentes pictae sunt, qua in re indaganda et tractanda acerrimo studio exercitatissimus atque ingeniosissimus vir Welckerus [44]) magnas laudes meruit.

CAPUT V.

CARMINA MUSAEI.

Ex iis, quae Graeca antiquitas nobis sub Musaei nomine reliquit, carminibus omnino certe intelligi non potest, quaenam propria et genuina illius poetae natura et indoles fuerit, quoniam per nonnullos viros, prout Graecorum ingenium progrediebatur, illa carmina multifariam mutata et amplificata esse certe scimus. Ita Clemens Alex. strom. 6. p. 745 tradit Hippiam ex Musaei carminibus ea, quae suo consilio apta fuerint, sumpsisse, disposuisse indeque novas plane sententias finxisse; haud dubie ut sua decreta hoc splendido nomine praeposito commendaret; ex quo sane apparet, profecto poetam nomine Musaei vixisse, cuius auctoritas illis temporibus magna fuisset.

Nemo autem est, qui omnia carmina, quae a Musaeo composita vel rectius sub Musaei nomine apud veteres commemorantur, non solum non ab illo poeta facta, sed nonnulla

---

42) Gerhard: Auserlesene Vasenbilder. tom. 41 sqq. — Élite céramogr. T. III. pl. 48—68.

43) Bullett. dell. Instituto archeol. 1845. p. 219—223.

44) Welcker: Alte Denkm. III. p. 462—471. tab. XXXI.

ne illis antiquissimis quidem temporibus componi potuisse nesciat, qua de re infra fusius disputabimus. Nihilo secius ex iis fragmentis, quae ad poesim hieraticam pertinent — et quidem omnia fere Musaei fragmenta ad hoc genus poeticum spectare statim videbimus — paululum ingenii atque naturae illius veterrimi poetae perspici potest, etiamsi certum est, non prisca ac genuina forma, sed ad recentiores modos mutata ea circumlata esse. Priusquam autem ad titulos carminum Musaei enumerandos fragmentaque colligenda adeam, unam rem late dispersam corrigere atque emendare mihi liceat. Pausanias enim illo loco I. 22, 7, ut iam supra audivimus, dicit: *ἐγὼ δὲ ἔπη μὲν ἐπελεξάμην, ἐν οἷς ἐστὶ πέτεσθαι Μουσαῖον ὑπὸ Βορέου δῶρον, δοκεῖν δέ μοι πεποίηκεν αὐτὰ Ὀνομάκριτος καὶ ἔστιν οὐδὲν Μουσαίου βεβαίως εἰ μὴ εἰς Δημήτερα ὕμνος Λυκομίδαις.*

Carmen illud Musaei nomine inscriptum ab Onomacrito suppositum esse hoc loco arbitratur Pausanias, nec sane est, quod ei fidem non habeamus. Addit autem nullum e Musaei carminibus sibi genuinum videri praeter hymnum in Cererem; omnia ab Onomacrito quidem supposita sibi videri non affirmat, genuina esse tantum negat. Qui igitur, quaeso, fieri potuit, ut, quae Musaei ferebantur et feruntur, omnia Onomacrito auctori tribuerentur? At vero in hanc sententiam accepta videmus Pausaniae verba a Passovio p. 34: „Pausanias sagt ausdrücklich, unter Allen für Musaeisch ausgegebenen Versen dünke ihm der einzige Hymnus auf Demeter aecht, Alles Uebrige halte er für Onomacritos Werk, worin Clemens Alex. strom. I. p. 397. mit ihm einstimmig ist.“ Multi Clementem Alex. sequentes hunc Pausaniae locum eodem temerario modo interpretati sunt, ut Schoellius: hist. lit. graec. I. p. 31. Sed probabile non est, Pausaniam quod hoc loco tanquam coniecturam de uno carmine dubitanter profert, aliis locis de omnibus Musaei carminibus pro certo atque explorato tacite sumpsisse. Sed haec mittamus, inprimis cum nobis non multo post de eadem re occasione oraculorum tractandorum data iterum loquendum sit et iam ad scripta

sub Musaei nomine servata eorumque fragmenta illustranda transeamus. Quo quidem in negotio arduo ac difficili inprimis opus est, ut aequos nanciscamur iudices. — Ad Musaei poesim pertinent neque ultimum locum obtinuisse videntur:

§. 1. Χρησμοί.

De his cf. Herodot. VII. 6. VIII. 96. IX. 43. Philostrat. Heroic. cap. II. sect. 19. pag. 693. (Kayser.) Plat. Prot. T. III. p. 100. Strab. 762. Aristoph. ran. 1033, ad quem v. Scholiast.

Pluribus locis nobis narratur Onomacritum, qui Orpheo quoque oracula supposuit, χρησμοὺς sub Musaei nomine concinnasse et ἐπ' αὐτοφώρῳ a Laso Hermioneo deprehensum a Pisistrato Athenis eiectum esse. Herodoti verba, cum sint fundamentum narrationis eius, quo ceteri utebantur, hic apponam. Lib. VII. cp. 6 inter alios qui Xerxem ad expeditionem in Graecos suscipiendam excitarent, Onomacritum afferens dicit: ἔχοντες Ὀνομάκριτον, ἄνδρα Ἀθηναῖον, χρησμολόγον τε καὶ διαθέτην χρησμῶν τῶν Μουσαίου· ἐξηλάθη γὰρ ὑπὸ Ἱππάρχου τοῦ Πεισιστράτου ὁ Ὀνομάκριτος ἐξ Ἀθηνέων, ἐπ' αὐτοφώρῳ ἁλοὺς ὑπὸ Λάσου τοῦ Ἑρμιονέος ἐμποιέων ἐς τὰ Μουσαίου χρησμὸν, ὡς αἱ ἐπὶ Λήμνου ἐπικείμεναι νῆσοι ἀφανιζοίατο κατὰ τῆς θαλάσσης· διὸ ἐξήλασέ μιν ὁ Ἵππαρχος, πρότερον χρεώμενος τὰ μάλιστα.

Onomacritus igitur Atheniensis sub Pisistratidarum dominatione Athenis magna auctoritate atque Hipparchi inprimis consuetudine usus est. Vox χρησμολόγος autem illo Herodoti loco non ut alii perperam explicant, tantum oraculorum gnarum significare potest, sed hoc nomen ex etymologia et in eum cadit, qui colligit χρησμοὺς aliorum et in eum, qui ipse furore divino correptus χρησμοὺς ore edit. Utramque vim habet vocabulum apud scriptores, priorem apud Herodot. VII. 6. alteram apud Herodot. I. 62 et saepissime.[45]) Διαθέτης autem χρησμῶν τῶν Μουσαίου nihil est nisi ordinator oraculorum Musaei, ita ut haec significatio originem haud dubie traxerit a carminum singulorum disponendorum et concinnan-

[45]) Nitzsch. hist. Hom. I. p. 168.

dorum negotio.[46]) Vagabantur Athenis ex antiquis temporibus sub Musaei inprimis et Bacidis nominibus oracula, quibus ipse Herodotus summam auctoritatem fidemque tribuit; quippe vera fuisse multis locis studet demonstrare.

Pausanias quoque oracula sibi nota nec non lecta esse testatur X. 12, 6. Atque eius generis plura ab Herodoto, Thucydide, Plutarcho, Clemente, aliis nobis servata sunt, quae omnia ad rei publicae Atheniensis et universae Graeciae fata vel prospera vel adversa spectant.[47])

Herodotus Musaei inprimis mentionem facit, cum prosperum pugnae apud Salamina eventum ab illo praedictum memoret (VIII. 96.) hisque verbis finit: *ὥστε ἀποπλῆσαι τὸν χρησμὸν τόν τε ἄλλον πάντα τὸν περὶ τῆς ναυμαχίης ταύτης εἰρημένον Βάκιδι καὶ Μουσαίῳ, καὶ δὴ καὶ τ. λ.* Aliud oraculum de pugna navali apud Aegos flumen facta memoriae traditur a Paus. X. 9, 5: *τὰ δὲ ἕτερα ἐκ Μουσαίου χρησμῶν μνημονεύουσι.*

Καὶ γὰρ Ἀθηναίοισιν ἐπέρχεται ἄγριος ὄμβρος
Ἡγεμόνων κακότητι· παραιφασίη δέ τις ἔσται,
Ἧι γ' ἅλις [48]) *ἡμύσουσι πόλιν τίσουσι δὲ ποινήν.*

Aliud fragmentum Musaei huic *χρησμῶν* generi certe adscribendum est, quod legitur apud Paus. X. 5, 3, quem locum totum hic describam, quod apud aliud Musaei carmen eo nitamur oportet: *ἔστι δὲ ἐν Ἕλλησι ποίησις, ὄνομα μὲν τοῖς ἔπεσίν ἐστιν Εὐμολπία, Μουσαίῳ δὲ τῷ Ἀντιοφήμου προσποιοῦσι τὰ ἔπη· πεποιημένον οὖν ἐστιν ἐν τούτοις, Ποσειδῶνος ἐν κοινῷ καὶ Γῆς εἶναι τὸ μαντεῖον, καὶ τὴν μὲν χρᾶν αὐτήν, Ποσειδῶνι δὲ ὑπηρέτην ἐς τὰ μαντεύματα εἶναι Πύρκωνα καὶ οὕτως ἔχει τὰ ἔπη·* [49])

Αὐτίκα δὲ Χθονίη σφῶν δὴ πινυτὸν φάτο μῦθον,
σὺν δέ τε Πύρκων ἀμφίπολος κλυτοῦ Ἐννοσιγαίου.

---

[46]) Lobeck. Aglaoph. I. p. 333.

[47]) G. Wolff. de novissima oracul. aetate. Berol. 1854.

[48]) Ubi cum Mullachio: fragm. philos. graec. Paris. 1860. p. 160 scribendum est: Ἑλλάδος ἡμύσουσι πόλεις κ. τ. λ.

[49]) Quos versus legi sequens Mullachii emendationem.

Haec et alia oracula iussu Pisistratidarum collecta Onomacritus in certum ordinem redegit, quae ita disposita et perscripta servabantur, deinde in acropoli, ubi Pisistratidis expulsis relicta invenit Cleomenes, Spartanorum rex, cum Isagorae summam rerum tradere studeret.[50]) Quibus Musaei oraculis quantam Pisitratidae auctoritatem tribuerint, e poenae gravitate intellegitur, quae Onomacrito propter fraudem in illo disponendi negotio commissam inflicta est. Tantum enim vel ingenio suo vel studio alicui indulsisse traditur Onomacritus, ut suum ipsius oraculum insereret. Qua in re deprehensus, ut supra diximus, ab ipso Hipparcho, cuius antea intima familiaritate usus fuerat, ob id facinus succenso eiectus est. Iam ex Herodoti narratione satis perspicitur, eum cetera Musaei oracula genuina putasse neque ullius praeter memorati istius veritatem in suspicione habuisse. Quamobrem temeraria videtur illa vulgaris sententia, quae exstat apud Clem. Alex. strom. I. p. 332: *τοὺς μὲν ἀναφερομένους εἰς Μουσαῖον χρησμοὺς Ὀνομακρίτου εἶναι λέγουσιν.* His omnibus expositis intellegi potest, Musaeum tota fere antiquitate divinum vatem, qui incensus furore divino voluntatem et consilia deorum hominibus aperuisset, esse habitum. Antiquissimis enim temporibus superstitiosa illa de vatum divinitate opinio erat vulgaris, qua poesis dei magis, quam hominis credebatur esse opus. Inde poetis ipsis erat persuasio, non se esse loquentes, sed deum, non suis se mentis viribus, sed a numine intestino excitari.[51]) Itaque hanc *χρησμῶν* poesim non e fraude neque sordidi quaestus cupiditate, sed ex intimo innatoque verae humanitatis semine esse ortam credere oportet; neque rectum est horum oraculorum originem hominibus vafris et fraudulentis auctoritatis et divitiarum cupidis tribuere, quae Van Dalii est sententia.[52])

---

[50]) Herodot. V. 90.

[51]) Epimenid. Cret. apud Maxim. Tyr. diss. XXII. p. 223 et XXVIII. p. 280. (Heins.)

[52]) de oraculis veterum Ethnicorum. Amstd. 1700. p. 2. sqq.

§. 2. Τελεταί.

Ex his, quae priori capite demonstravimus, credibile fit Onomacriti aevo Musaei oracula vulgata fuisse, nunc libros sacrificales et artem purificandi et similia ab eo composita esse audiemus. Quas res ita sese habere testatur Schol. ad Aristoph. ran. v. 1031. (1065) Imm. Bekk. vol. II. Londin. ὁ Μουσαῖος παραλύσεις καὶ τελετὰς καὶ καθαρμοὺς συντέθεικεν. cf. Plat. Protag. p. 316 (Steph.) . . . τοὺς δὲ αὖ τελετάς τε καὶ χρησμῳδίας, τοὺς ἀμφί τε Ὀρφέα καὶ Μουσαῖον.

Primum nobis liceat de v. τελεταί disserere. Τελεταί vel Τελετή summus est gradus mysteriorum; non ut Eschenbachius Epigen. p. 9 voluit, doctrina ipsa sive scripto contenta sive ore tradita, qua homines in consortium mysteriorum introducebantur, sed certis aliquibus caerimoniis, symbolis, fabulis constans, quibus secretiora praecepta vitae felicioris dabantur. Quae caerimoniae, qui ritus primis temporibus fuerint, nemo dicere potest; caveas enim, ne illo tempore mysteria iam iisdem ritibus, caerimoniis, pompis facta esse credas, quae postea in usum venerunt; omnes enim, qui de his rebus scripserunt, in eo conveniunt, sacra illa antiquitus tradita procedente tempore mutata, amplificata, quodammodo exculta esse.[53]) Attamen omnino nos huius rei testimoniis destitutos esse nego, quippe qui ex nominibus, quae praeter τελετὰς vocabantur, certi aliquid me excussurum esse sperem. Namque iuxta has τελετάς vel initia λύσεις vocantur seu παραλύσεις et καθαρμοί, quibus de rebus certe diiudicare nequeo, utrum λύσεις an καθαρμοί ad corpus vel ad animam vel ad utramque partem spectaverint. Quae his lustrationibus cum initiis ratio intercesserit, docet nos St. Crucius: libro 1. tom. I. p. 406: „Le savant Marcham n' a point manqué de l'observer, et s' est pressé d' en conclure que cette dernière cérémonie étoit l' objet principal de l' initiation.[54]) S. Clément d' Alexandrie nous dit que ces lustrations avoient donné naissance, chez

[53]) O. Mueller. Eleus. in Ersch. et Gruber. Encyclop. I. p. 33.

[54]) Chronic. Canon. p. 253. ed. Londin. 1762. Fol.

les Grecs comme chez les barbares, aux mystères.[55]) Elles y furent toujours conservées avec soin, en étoient inséparables, et y servoient pour ainsi dire de prélude."[56]) Itaque certum est, neminem ad ipsa mysteria (τελετάς) esse admissum, priusquam sollemnes lustrationes in parvis, quae vocantur, initiis subierit.[57]) Hanc rem ita intellegit Passovius: Τελεταί ist, wie es mir scheint, der eigentliche Kunstausdruck, λύσεις, παραλύσεις und καθαρμοί aber die erläuternden Benennungen des gewöhnlichen Lebens (introduct. ad Mus. p. 43 sq.).[58]) Quae lustrationes quales fuerint, quomodo factae sint, si quaeras, cf. quod Serv. ad Verg. Aen. VI. v. 740 dixit: „In omnibus sacris tres sunt istae purgationes. Nam aut taeda purgantur et sulphure aut aqua abluuntur aut aere ventilantur: quod erat in sacris Liberi." Idem fere aliis verbis dicit ad Georg. II. 388: „*Omnis* autem purgatio aut per aquas aut per ignem fit aut per aerem." In his igitur carminibus Musaeus ille non solum praecepta tradidisse de purificando et excolendo animo ac mente ideoque de abstinentia, de initiationibus aliisque religiosis caerimoniis, sed etiam quaedam admiscuisse videtur de rebus physicis et medicis. Ut enim in multis gentibus antiquis, velut Aegyptiis, a sacerdotibus non solum mentis et animi, sed etiam corporis levamenta et medicamenta data, ita et haec apud priscos Graecos facta esse invenimus. Haec enim Graecis fuisse videtur opinio, morbos non tam ex naturae humanae debilitate et infirmitate enasci, quam a diis mala immitti, ideoque eorundem deorum a sacerdotibus, qui intercedebant inter deos et homines, sublevandos esse atque tollendos. Quem ad finem dii sacerdotibus suis medicamina ad morbos levandos dare putabantur, et ita sacerdotes herbis vel aliis naturae rebus aut carminibus mala propulerunt. Libenter igitur nobis concedes, ut iungamus cum

---

[55]) Strom. lib. V. p. 689.

[56]) Arr., in Epict., lib. III. cp. 21, tom. I. p. 442, ed. Schweigh.; Schol. Arist., Plut., ad v. 846; Pac. ad v. 373.

[57]) S. Crucius: l. l. I. p. 301.

[58]) Schoell. hist. lit. Graec. tom. I. p. 32.

his rebus titulum: ἀκέσεις sive ἐξακέσεις νόσων. cf. Aristoph. ran. 1031 (Μουσαῖος δ' ἐξακέσεις τε νόσων καὶ χρησμούς);[59]) cuius rei Eustathius quoque mentionem facit in prooemio comment. ad Iliadem Homeri. Ed. Lips. 1827. T. I. p. 4: ὅτι δὲ καὶ ἕτεροι πρὸ αὐτοῦ ἦσαν ποιηταί, ὧν καὶ Μουσαῖος, ἀκέσεις νόσων συγγραψάμενος..... Itaque cum homines causas malorum eventuum et morborum irae deorum tribuisse et a culpa carminibus sese purgare atque ita a malis, inprimis a morbis ipsis se liberare studuisse modo audiverimus, prorsus a vero non aberrabimus, adscribentes has morborum sanationes illius temporis sacerdotibus. Ita Musaeum de polii herbae vi et salubritate dixisse ex Theophr. hist. plant. lib. IX. cp. 21 apparet: „Φασὶ τὸ πόλιον καθ' Ἡσίοδον καὶ Μουσαῖον εἰς πᾶν πρᾶγμα σπουδαῖον χρήσιμον εἶναι.“ Ad eandem rem tribus locis respicere videtur Plinius hist. nat. 21, 20: polio Musaeus et Hesiodus perungi iubent dignationis et gloriae cupidos et 21, 7: apud Graecos polion herba inclita Musaei et Hesiodi laudibus; et 25, 2: „Orpheus primus de herbis curiosius aliqua prodidit: post eum Musaeus et Hesiodus polion herbam in quantum mirati sunt, diximus.“ Forsitan ad similem rem referendus sit locus apud Schol. Apoll. Rhod. 491. 2 (Keil.): ἡ ἄρκευθος, δένδρον τι ἀκανθῶδες, Ἀπόλλωνος ἴδιον, ὡς ἱστορεῖται ἐν τρίτῳ τῶν εἰς Μουσαῖον ἀναφερομένων. Certe hae plantae non aliam ob causam, quam quia corpori salubres fuerunt, a Musaeo sapienter commendatae sunt, ut Epimenides quoque ad similes res inclitis herbis usus esse narratur.[60])

Quam falsa sit sententia Doellingeri l. l. p. 197: Die Auffassung dieser Waschungen und Lustrationen war eine völlig mechanische; Priester und Volk suchten und verlangten nichts weiter, als eine Hinwegnahme der nicht ethisch, sondern physisch gedachten Verunreinigung; satis liquet ex eo, quod Winiewskius in ind. lect. Monast. Guestphal. 1855—56. p. 19

---

59) ad quem locum v. Schol.: καὶ θεραπείας νοσημάτων.

60) Heinrich: Epimen. p. 44. sqq. cf. Eschenbach: Epigen. de poesi Orphica p. 179.

demonstravit, praecipuam horum initiorum et lustrationum vim ad animarum migrationem ceterasque noxiorum mortalium poenas spectasse.[63]) Similem rationem et quidem spectantem ad futuram, quae mysteriis initiatos manebat, felicitatem contineri puto fragmento, quod Passovius l. l. p. 80 fere ultimo Musaei fragmentorum loco posuit, quoniam nulli generi certo vel titulo carminum eiusdem assignari potuit. Quod frustum invenies apud Plat. rep. II. 363. C. qui: „Μουσαῖος, ait, δὲ τούτων νεανικώτερα τἀγαθὰ καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ παρὰ θεῶν διδόασι τοῖς δικαίοις. e. q. s." Ab hac lustrationum et initiorum consuetudine toto coelo distabant illae calumniae religionis et piae fraudes Orpheotelestarum, quos vocant, qui iam Platonis tempore a viris sapientibus merito illudebantur, sicut ipse Plato totis viribus petulantiam ac furorem eorum oppugnat: de republ. II. 364 C. —

Sed discedere hinc non possum, quin hoc loco sententiam meam addiderim, quae quidem historiae documentis demonstrari non potest, tamen veri similis est habenda. Opinio enim est mea, haec duo poesis genera — χρησμοί et τελεταί — arte inter se atque cum religione coniuncta fuisse. Iidem enim vates, qui deorum commercio se uti credebant ipsi atque sine ulla dubitatione credebantur, non solum deorum voluntatem aperuerunt, sed etiam a culpa sive vera sive cogitata carminibus sese aliosque purgare atque ita a malis et praesentibus et futuris liberare studebant. Cum his τελεταῖς, ut iam supra indicavimus, coniuncta erant praecepta etiam vitae cultioris et mitioris, quibus illi cultores et educatores, ut hominibus humanitatem tribuerent, operam navabant, quam rem Horat. egregie expressit epist. de a. P. v. 391 neque multo post v. 403.

CAPUT III.

Ὕμνοι.

Propinquum huic religiosae poesi genus erant hymni et quidem hymnos quoque genuinos a Musaeo compositos usque

---

[61]) cf. Plat. de rep. II. p. 366. A.

ad Onomacriti saltem tempus servatos extitisse affirmare non haesito. Omnino enim hymnos fecisse Musaeum testatur Plotius de metr. c. V. p. 1629: „Heroicum metrum, quod et Delphicum et Theologicum nuncupatur; Delphicum ab Apolline Delphico, qui primus hoc est usus metro; Theologicum ab Orpheo et Musaeo, qui, deorum sacerdotes cum essent, hymnos hoc metro cecinerunt." Eandem quoque rem indicare videtur Augustinus de civit. Dei. lib. XVIII. c. 14: „per idem temporis intervallum extiterunt poetae, qui etiam theologi dicerentur, quoniam de diis carmina faciebant — Orpheus, Musaeus, Linus." Certum est, eos, qui primi humanas societates formare, legibus ordinare instituebant, nullum firmius religione vinculum, quod harum societatum statum continere posset, excogitare valuisse atque ex deorum numero eos selegisse, quorum opem inprimis carminibus et hymnis exposcerent, iram autem ac minas avertere omni modo niterentur. Itaque nomina duorum deorum, quorum honoris causa illi hymni condebantur, testimonia antiquitatis nobis servarunt.

a) Primum enim hymnum in Cererem a Musaeo concinnatum Paus. I. 22, 7 memorat, ubi de carminibus Musaei loquens ullum eorum genuinum esse negat praeter hunc modo nominatum hymnum in Cererem, quem Lycomidis fecerit. Alio loco idem Paus. huius hymni mentionem facit IV. 1, 4: *ὁμολογεῖ δέ σφισι καὶ ὕμνος Μουσαίου Λυκομίδαις ποιηθεὶς εἰς Δήμητρα.*

b) Musaei hymnum in Bacchum una cum Orphico in eandem deam composito memorat Aelius Aristid. in laud. Bacchi T. I. p. 51, sed non magni facit.

Ex hoc concludi debet, mysteria Cerealia et Bacchica in Eleusiniis iam antiquitus coniuncta fuisse; haec enim est causa, cur Musaeus ad illum Bacchum celebrandum carmina composuerit. [62]) — Si quis vero formam ac naturam horum

[62]) Ouwaroff. Essai sur les mystères d'Eleusis p. 88. 95. De Sacy ad S. Croe. T. II. p. 72 sq. Gail. de cultu Bacchi p. 84.

genuinorum hymnorum cognoscere quaerat, Pausaniam audiat qui IX. 30, 6 de Orphei hymnis disputat. Nobis hoc Pausaniae dictum ad Musaei hymnos transferentibus iactura illius hymni, quem Paus. l. supra c. solum genuinum habuerat, valde dolenda est, quoniam ille hymnus fortasse mysticam Graecorum vitae ac religionis partem illustravit, quae nunc maxima ex parte tenebris offusa est. Hos enim hymnos usui mysteriorum inservisse certissimum est: quibus quidem decantatis sacerdotes ipsa mysteria auspicati esse videntur.

Quoniam ne descriptos nobis fines transgredi videamur, verendum est, huic hieraticae poesi, quam solam veram et genuinam Musaei habemus, finem ponamus atque ad epica carmina, quae sub eiusdem poetae nomine circumferebantur, collustranda transeamus. Iam nunc de illis carminibus, quae Musaei nomen prae se ferunt, profitebor, seriorum temporum temeritati ea deberi atque hanc sententiam teneo antiquiorum auctorum testimoniis et doctorum recentiorum studiis fretus. Sequioribus enim aetatibus cum nec tempora nossent homines accurate distinguere, nec quid ex huius aut illius vena fluxisset, critico studio discernere, e choro poetarum ex una eademque schola egressorum, unum elegerunt poetam certe gravissimum et quaecunque carmina cum aliis eiusdem nominis habebant aliquam similitudinem, ea huic omnia mira sedulitate vindicarunt. Ita sensim paulatimque magnus ille carminum Musaei catalogus natus est; quae carmina ab uno omnia vate esse profecta equidem nunquam puto. In singulis enim rebus videbimus, quam minutis et tenuibus et saepe falsis testimoniis confidentes scriptores recentiores haec carmina epica probarint. Iam singulos, quae Musaei ferebantur, carminum titulos videamus.

§. 1. Theogonia.

Deorum generationem a Musaeo conditam esse testantur Diog. Laert. in prooemio I. 3 ubi de Musaeo agens dicit: *ποιῆσαι δὲ Θεογονίαν καὶ σφαῖραν*, atque Sabinus ad Verg. Aen. VI. 667 addit, Musaei theogoniam primam huiusmodi

fuisse. Fragmenta huius theogoniae, quae a Passovio summa diligentia collecta atque ordinata sunt, non omnia poeticam formam habent; quoniam autem nemo est, qui librum soluta oratione scriptum in numerum scriptorum Musaei referendum esse putet, Passovius non sine sagacitate quadam coniecturam fecit, veterrimis temporibus hoc carmen in orationem prosam mutatum esse, quod nusquam in reliquiis servatis ne disiecti membra poetae quidem reperiri possunt. Similia interdum facta esse Antimachi Colophonii, cuius elegiam „Lydam" secundum Photii testimonium (cod. 213 p. 547) Agatharchides in prosam immutaverat, exemplo demonstrare vult. Iam fragmenta sequantur, quae Passovius ex hac theogonia hausta esse opinatur, in quibus ordinandis et interpretandis me fateor non semper illius consilium ac rationem secutum esse.

a) Scholiastes in Apoll. Argon. ex recens. Keilii p. 463. 13. ad v. 1035 libr. III. (Merkel.) explic.: *Μουνογενῆ δ' Ἑκάτην Περσηΐδα μειλίσσοιο* dicit: *Μουσαῖος δὲ Ἀστερίας καὶ Διός.*

b) Idem Schol. p. 474. 18: — *Μουσαῖος ἱστορεῖ Δία ἐρασθέντα Ἀστερίας μιγῆναι καὶ μιγέντα δοῦναι αὐτὴν τῷ Πέρσει.* cf. Passov. l. l. p. 64. frgm. 7. 8. Quod attinet ad genealogiam huius Hecatae non longius lectorem morabor, sed siquis hanc rem accuratius perspecturus est, videat Prell. myth. I. 199. [63]) Ad id quod nobis probandum est, duo tantum proponere possum: aut Scholiasta genuino Musaei scripto usus est aut ex aliquo libro Musaeo supposito hausit. Quodsi Scholiastes Musaeum ipsum adhibuit, illud scriptum prorsus non theogonia esse potuit, quoniam ambigitur antiquissimis illis temporibus longiora epica carmina extitisse. Nihil autem obstat, quominus commentator supra dictus ad aliud Musaei scriptum, initia, de quorum veritate iam supra fusius disputatum est, recurrerit. Atqui initiis de Hecata actum esse nemo infitiabitur, si fragmentum Neanthis Cyziceni perlustraverit cf. Mueller. fragm. hist. Graec. tom. III. p. 8.

[63]) Lobeck. Aglaoph. p. 543.

c) Apud. Paus. I. 14, 2 haec leguntur: *Ἀθηναῖοι δὲ καὶ ὅσοι παρὰ τούτοις ἴσασι Τριπτόλεμον τὸν Κελεοῦ πρῶτον σπεῖραι καρπὸν ἥμερον· ἔπη δὲ ᾄδεται Μουσαίου μὲν (εἰ δὴ Μουσαίου καὶ ταῦτα) Τριπτόλεμον παῖδα Ὠκεανοῦ καὶ Γῆς εἶναι.* Quanquam hoc fragmentum a Passovio p. 69 fragm. 13 et ab Harles. bibl. graec. T. I. p. 121 ad Musaei theogoniam adnumeratur, equidem potius partem esse putarem hymni in Cererem, nisi repugnarent Pausaniae verba: *εἰ δὴ Μουσαίου καὶ ταῦτα*, quibus dubitationem exprimit, cum idem alio loco, ut antea vidimus, hymnum in Cererem disertis verbis genuinum esse contendat. Itaque tantum restat, ut putemus, Musaeum peculiare carmen in Triptolemum cecinisse. Cantatum autem a Musaeo Triptolemum, non est, quod miremur, quoniam tanti est momenti in Eleusiniis mysteriis ille heros. Constat enim Cererem filiae Proserpinae vestigia prosequentem ad regem Celeum venisse ibique Triptolemi, qui filius Celei erat, nutriendi et educandi curam suscepisse. Quid refert, Triptolemnm Oceano et Terra natum hoc a Pausania citato loco vocari? Quod quidem primo aspectu ab illo hymno discrepare videtur. Sed si accuratius inspiciamus, id ad Triptolemum, doctorem agriculturae et principem, quae apud pristinos Graecos omnis humanitatis mater habebatur, haud dubie referendum est; nam ager (Terra) fit fertilis humore (Oceano).[64])

d) C. Iulius Hyginus poemat. astr. II. 21. p. 470 narrat: „Pleiades appellatae sunt, ut ait Musaeus, quod ex Atlante et Pleione Oceani filia sint quindecim filiae procreatae, quarum quinque Hyadas appellatas demonstrat, quod earum Hyas fuerit frater a sororibus plurimum dilectus: qui cum venans a leone esset interfectus, quinque, de quibus supra diximus, lamentationibus assiduis permotae dicuntur interiisse: quare eas, quod plurimum de eius morte laborarent, Hyadas appellatas. Reliquas autem decem sorores deliberasse de sororum morte, et earum sibi septem mortem conscisse: quare

---

[64]) Preller. mytholog. I. p. 477.

quod pluries idem senserunt, Pleiadas dictas." Quod attinet ad hoc fragmentum, non sequor Passovium, qui in l. l. p. 70 fragm. 14. Musaeum legit, sed Muellerum fragm. hist. graec. tom. III. p. 156. fragm. 42., qui lectionem „Mnaseas" praebet. Hic Mnaseas Patrensis vel secundum alios Patarensis inter varios eius nominis viros is esse videtur, quem Eratosthenis discipulum dicit Suidas s. v. *Ἐρατοσθένης*. Ipse composuit *Περιήγησιν* sive *Περίπλουν*, cuius partes inscriptae erant: *Εὐρώπη*, *Ἀσία*, *Λιβύη*; eo opere terras mari interno adiacentes ita videtur perlustrasse, ut quaecunque ad origines urbium, ad locorum mirabilia fabulasque, ad mores populorum deorumque cultum spectant, sedule colligeret. Inter geographos Mnaseam recenset Forbiger. [65]) praeeunte Uckerto.

e) Non diversa ab Hygini narratione dicit Scholiastes ad German. Caesar. Arat. 254. T. 2. p. 65: „Musaeus refert filias Atlantis fuisse septem, ex quibus sex clarae sunt, una obscura - quod hoc loco tantum sermo est de septem Atlantidis, quae post Hyadum interitum dolore mortuae sunt." Hoc quoque fragmentum, cum a superiori, quod Mnaseae tribuimus, disiungi nequeat, non Musaei theogoniae [66]) adscribo, quoniam illo Schol.- loco non Musaeus, sed Mnaseas legendus est. Sed si quis non intelligat, quomodo pro voce *Μνασέας* saepius *Μουσαῖος* legi potuerit, eum relegamus ad G. I. Vossii histor. Graec. lib. I. p. 134, ubi dicitur: sed in Harpocrationis loco corrupte vocatur *Μνασαίας*. Quis vero negabit, ex hac v. *Μνασαίας* facillime *Μουσαῖος* existere potuisse? —

f) Aliud fragmentum quo Fabric. bibl. graec. T. I. p. 121 et Passovius p. 69. frg. 12 theogoniam Musaei comprobarunt, servatum est apud Schol. ad Apoll. Arg. p. 449. 19 (Keil.): *ἐν τοῖς εἰς Μουσαῖον ἀναφερομένοις, δύο ἱστοροῦνται γενέσεις Μουσῶν· πρεσβυτέρων μὲν μετὰ τοῦ Κρόνου γενομένων· νεωτέρων δέ, τῶν ἐκ Διὸς καὶ Μνημοσύνης.* —

---

[65]) Handbuch d. alt. Geograph. I. p. 239.

[66]) Passov. l. l. p. 71. frgm. 15.

Quocum si coniungimus illud quod paullum infra apud eundem scholiastam fragmentum legitur p. 482, 23:

g) τὰς δὲ τοιαύτας φαντασίας ὁ Μουσαῖος ἀναφερομένας φησὶν ἐκ τοῦ ὠκεανοῦ κατὰ τὸν αἰθέρα ἀποσβέννυσθαι· τοὺς δὲ ὑπὸ Μουσαίου ἀστέρας εἰρημένους Ἀπολλώνιος πιθανῶς μαρμαρυγὰς εἴρηκε. cf. Passov. l. l. p. 72. frg. 16. eum et de vetere illo Musaeo cogitasse apertum est, cui vulgo tribuerentur illa fragmenta, neque ipsum ea habuisse sincera. Ceterum comparatis duabus Scholiastae vocibus: ἐν τοῖς εἰς Μουσαῖον ἀναφερομένοις et τοιαύτας φαντασίας, quibus quaedam cavillationis et ludibrii species inest, nemo non penitus cognoscet, fragmenta, qualia haec sunt, neutiquam ad theogoniam, de cuius maximo pondere non facile dubius sis, referenda esse.

h) Transgrediamur ad aliud fragmentum, quod ex Musaei theogonia ad nos pervenisse Passovius putavit p. 74. frg. 18. Scilicet Harpocratio s. v. Μελίτη. p. 118. Gronov. dixit: Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Κόνωνος· δῆμός ἐστι τῆς Κεκροπίδος· κεκλῆσθαι δέ φησι τὸν δῆμον Φιλόχορος ἐν τρίτῃ ἀπὸ Μελίτης θυγατρὸς κατὰ μὲν Ἡσίοδον, Μύρμηκος, κατὰ δὲ Μουσαῖον, Δίου τοῦ Ἀπόλλωνος. Hoc quidem fragmentum nullo pacto Musaeo abiudicari, Mnaseae tribui potest, quoniam et Philochorus Musaei atque Hesiodi iudicia inter se comparat et Mnaseas Philochoro multo recentiori vixit aetate. Idcirco Philochorus eum locum aut ex hymno aut ex τελεταῖς Musaei sumpsisse putandus est, quoniam illis temporibus cogitari non licet iam theogonias compositas esse; nam doctrina religionis nondum tam exculta erat, ut ordine quodam in unum colligi posset.

i) Denique afferamus fragmentum, quod legitur apud Eratosth. catasterism. 13. p. 11 (Schaubach. Gotting. 1795): ἐσχημάτισται ἐν τούτῳ (τῷ Ἡνιόχῳ) ἡ αἲξ καὶ οἱ ἔριφοι· Μουσαῖος γάρ φησι, Δία γεννώμενον ἐγχειρισθῆναι ὑπὸ Ῥέας Θέμιδι. Θέμιν δὲ Ἀμαλθείᾳ δοῦναι τὸ βρέφος· τὴν δὲ ἔχουσαν αἶγα, ὑποθεῖναι, τὴν δ' ἐκθρέψαι Δία. Quem locum iam Fabricius bibl. graec. T. 1. p. 121 e Musaei

theogonia manasse ratus eumque secutus est Passovius p. 67. frg. 9. Nonnullis prioribus locis medicinam attulimus, cum ostendissemus ea non immissa esse a Musaeo, sed a Mnasea. Sin autem hic etiam eodem modo procederemus, suspicio lectoribus oriri posset, quod Eratosthenem extitisse doctorem Mnaseae e Suidae scriptis elucet: non enim facile creditur magistrum discipuli auctoritatem maioris momenti posuisse. Verum cum nobis iam constet *καταστερισμοὺς* ex quibus hoc fragmentum ductum est, non esse tribuendum Eratostheni ipsi, sed nihil aliud esse, quam recentioris grammatici compendium, [67]) nihil credere vetat eodem hoc modo factum esse, ut etiam aliquid ex Mnaseae libris in scriptum „*καταστερισμοί*" receptum sit. Unde facile concluseris, nomen Mnaseae in Musaei mutatum esse, quoniam dubitatum est doctorem implorare discipuli adiumentum ad firmandam suam ipsius sententiam. Argumentum nostrum adiuvat Muell. fragm. hist. Graec. III. p. 156. frg. 42. cum dicat prae Hygini [68]) verbis fortasse Mnaseas pro Musaeo reponendum esse, quippe quae verba Mnaseae ingenio optime conveniant.

§. 2. *Σφαῖρα.*

Secundo loco carminum epicorum Musaei nominamus *σφαῖραν*, quam, ut antea vidimus, memorat Diog. Laert. in prooem. 1. 3 .... *θεογονίαν καὶ σφαῖραν πρῶτον ποιῆσαι.*

Primum quaeritur, quid haec sibi velit *σφαῖρα.* In initiis sphaera vulgo oblectamentum ludentis Dionysii pueri fertur, cuius usus statim in oculos incurrit. [69]) Quo significatu hoc loco sphaeram minime intellegendam refutare opus non est. Praeterea carmen aliquod sphaera vocari potest, simulac forma globi par est, sicut Schol. Hephaest. de metr. p. 54. *σφαῖραν, πέλεκυν, θρόνον* carmina, quae generatim vocantur, figurata enumeravit, quo nomine Orphicum illud carmen Salmasius

---

[67]) Bernhardy.: Eratosthenica. Berol. 1832. p. 114 sqq.

[68]) fabul. astr. II. 13 (Munck.): Musaeus autem dicit Iovem nutritum a Themide et Amalthea nympha, quibus eum mater Ops tradidisse existimatur.

[69]) Creuzer. Symbol. tom. III. p. 391. cf. Lobeck. Agl. p. 701.

quidem ad Theocrit. Fist. p. 219 indicari putat. et hunc tacite secutus est Licetus ad Syringem Porphyrii c. III. Ex certissimis autem argumentis concludi potest, Diogenem hoc loco sub carmine Musaei poeticas nugas, ut aetas Alexandrina tot ineptias procreavit, non putasse, primum quod Diogenes l. m. una cum theogonia *σφαῖραν* posuit, deinde quod hoc ex Hermiae loco clarius apparet.

Cum enim Plato dixisset in Phaedro p. 247 C. illum super coelestem locum (*σφαῖραν*), in quo formae rerum aeternae continentur, nullum ad hoc usque tempus neque ab ullo poeta digne praedicatum esse, Hermias, homo sapiens, adnotat hoc non in universum dici, sed de vulgo poetarum — *τὸ πλῆθος τῶν ἀνθρωπίνων ποιητῶν, ὥστε ἐξαιρεῖσθαι τοῦ λόγου Ὅμηρον καὶ Ὀρφέα· εἴρηται γὰρ αὐτοῖς περὶ τοῦδε τοῦ τόπου καὶ Ἡσιόδῳ καὶ Μουσαίῳ* p. 140.

Non tanti esse momenti duo testimonia Diogenis Laert. et Hermiae, ut iis monentibus subtilem philosophiae quaestionem a Musaeo, illo antiquo sacerdote, constitutam ducamus, sine audacia tenendum erit. Sin autem quispiam in illa Musaei sphaera astronomicum opus divinarit, ille Homerum diligenter et attente legens non ignorabit, quam parum illo aevo astronomia profecerit, ita ut sententia mea omnino non reiicienda sit, serioribus demum temporibus Onomacritum eiusve asseclas, de quibus statim largius disputabimus, fortasse tale carmen composuisse suoque libro, quo maiorem ei auctoritatem conciliarent, nomen illius Musaei praefixisse. Haud facile quis sub hoc carmine Musaeo subditicio de arcana astrorum vi, quam exercebant in res humanas earumque vicissitudines, et de similibus nugis cogitet; hoc enim refutatur eo, quod his astrologiae studiis Graeci tum demum mentes contaminare coeperunt, cum Berosus Alexandri aetate e Chaldaea eam in Graeciam transtulisset. Quibus expositis nulla iam restat causa, cur carmen, quod *σφαῖρα* inscribitur, a Musaeo conditum esse putemus. Iam vero progrediamur, cum nobis per complura Musaeo supposita carmina longum iter perficiendum sit.

§. 3. *Τιτανογραφία.*

Carmen epicum et didacticum, quod sub Musaei nomine antiquitati notum erat, *Τιτανογραφίαν* fuisse, uno tantum documento demonstrare possumus, quod quidem turpissime corruptum invenies apud Schol. ad Apoll. Arg. 447. 23 (Keil.): 70) *ἐν δὲ τῇ γ̄ Μουσαίου Τιτανογραφίᾳ λέγεται, ὡς Κάδμος ἐκ τοῦ Δελφικοῦ ἐπορεύετο προκαθηγουμένης αὐτῷ τῆς βοός.* Nam alia testimonia, quae hanc titanographiam spectant, ex hoc loco exscripta esse manifestum est; ita certe Eudocia in Violario s. v. *Κάδμος* p. 248 et forsitan Lactantius de falsa religione I. cap. XXI. p. 78 (Bipont.): ..... „huius capellae corio usum esse pro scuto Iovem contra Titanas dimicantem Musaeus auctor est.“ Valde mirum est hoc loco post Aratum a Lactantio dictum nomen Musaei simplex ad eandem rem exponendam esse indicatum; equidem nunquam opinioni adstipulabor, quae vult Musaeum veterrimum stare auctorem illius dicti: aliter enim Lactantius Musaeo, de quo nunc ambigitur, epitheton propius definiens, ut id fere semper ubique fit, certo adiunxisset. Itaque non temere affirmamus, Lactantio non alium fuisse praesentem atque Musaeum Ephesium, quem scimus non multo post Aratum vixisse, ad quemque subinde revertemur. Nunc si quis consideret, an potuerit Musaeus eiusmodi carmen epicum condere, non facile hoc demonstrare poterit, legens quod Paus. VIII. 37, 3: *Τιτᾶνας δὲ πρῶτος εἰς ποίησιν ἐσήγαγεν Ὅμηρος, θεοὺς εἶναι σφᾶς ὑπὸ τῷ καλουμένῳ Ταρτάρῳ* dixit. Hoc enim loco enucleate Pausanias exprimit, Titanas apud Homerum primos in poesi procedere, Musaeus ergo scriptor Titanographiae haberi non potest. Ceterum non infitiar, temporibus, quibus Musaeus vixisse fertur, in universum de principiis rerum et causis primis nonnullas, quanquam obscuras, cogitationes praesto fuisse, priusquam tales deorum et Titanum prosopopoeiae quales in epicis carminibus apparent, oriri potuerint. Hanc

---

70) ἐν τῷ τρίτῳ τῆς Μουσαίου Τιτανομαχίας maluit Passovius de Musaeo p. 73.

sententiam quodam iure comprobem monente Nitzschio: Beiträge zur Geschichte der epischen Poesie der Griech. p. 37. Itaque optimo iure nego Musaeum illum vatem Atheniensem titanographiam potuisse componere. Etiamsi ille vir cumulatissima scientia egregius nos non adiuvet, attamen nihil desistam de iis, quae antea affirmavimus. Titulus enim titanographia non sinit, ut illud scriptum ex summa antiquitate fluxerit, sed potius aetati, quae vocatur, Alexandrinae tribuendum est; quatenus ille titulus nimiam prae se fert doctrinam. Inter omnes autem constat, perpaucos tantum huius aetatis vero quidem rectoque sensu argumenta mythologiae et historiae ratione habita tractanda elegisse, sed haud facile intellegi posse, quippe qui doctrinae ineptae et mirabilium rerum fuco sese induissent. Qua de re infra nonnulla verba faciam. Inde haud ullum temporis punctum dubitabimus, quin Passovius l. l. p. 73 titanographiam in titanomachiam infeliciter mutaverit. Contra non male coniecit idem Passovius, permulta quae Musaeo Atheniensi perperam supposita sunt, Musaei Ephesii esse, cui opinioni Bernhardy hist. lit. Graec. tom. I. p. 314 accedit. Magnopere tamen dolendum est, quod ex iis, quae Musaei Ephesii supersunt, nihil aliud scimus, nisi in aula Pergamenorum regum eum vixisse atque teste Suida Perseida libris X scripsisse.

§. 4. *Εὐμολπία ποίησις* sive *Ὑποθῆκαι.*

Sub titulo *Εὐμολπία* carmen profertur a Paus. X. 5. 3: *ἔστι δὲ ἐν Ἕλλησι ποίησις, ὄνομα μὲν τοῖς ἔπεσίν ἐστιν Εὐμολπία, Μουσαίῳ δὲ τῷ Ἀντιφήμου προσποιοῦσι τὰ ἔπη· πεποιημένον οὖν ἐστιν ἐν τούτοις, Ποσειδῶνος ἐν κοινῷ καὶ Γῆς εἶναι τὸ μαντεῖον, καὶ τὴν μὲν χρᾶν αὐτήν, Ποσειδῶνι δὲ ὑπηρέτην εἰς τὰ μαντεύματα εἶναι Πύρκωνα· καὶ οὕτως ἔχει τὰ ἔπη·*

Αὐτίκα δὲ Χθονίη σφῷν δὴ πινυτὸν φάτο μῦθον,
Σὺν δέ τε Πύρκων ἀμφίπολος κλυτοῦ Ἐννοσιγαίου.

Alterum eiusdem carminis titulum affert Suidas s. v.

Μουσαῖος .... *ἔγραψεν ὑποθήκας Εὐμόλπῳ τῷ υἱῷ*, quae praecepta quattuor milibus versuum comprehensa fuisse ille lexicographus addidit. [71]) Lambecius prodrom. hist. lit. lib. II. cap. IV. p. 185 hasce *ὑποθήκας* ab Eumolpiis, Musaei carminibus, male distinxit. Quod fuerit huius carminis argumentum, nobis exposuit Isocrat. ad Nicocl. I. p. 18 (Lang.) qui *τινὲς*, inquit, *τῶν ποιητῶν τῶν προγεγενημένων ὑποθήκας, ὡς χρὴ ζῆν, καταλελοίπασιν*. Quemadmodum vero Orpheus carmen, quod secundum veterum ecclesiae patrum testimonia quasi mortalium operum postremum Musaeo suo hereditatis loco relinquere constituit, *Διαθήκας* sive sub simili nomine *Ὑποθήκας* composuit, sic Musaeus filio Eumolpo *ὑποθήκας* sive *Εὐμολπίαν* reliquisse narratur. Si quis ex nobis quaerat, utrum illud carmen Musaei genuinum an suppositum habeamus, non stricte respondere possumus; nostra enim de hac re opinio haec est: in omnibus poetarum verorum scriptis sunt dicta quaedam, in quibus arta forma pulchrae sententiae continentur, quaeque populo eximie placent atque paulatim proverbia, quae vocantur, fiunt. Itaque factum est, ut viri intelligentia eminentes haec summa reverentia quasi gemmas colligerent atque conservarent, quae temeritate posteriorum aucta ad totum fasciculum creverunt. Ut autem hominum mos est unicuique rei certum nomen dare, sic haec collectio uni poetae adscribitur; sed quid naturae aptius convenire potest, quam quod nomen prisci vatis, qui praeclarissimo nomine multas protulit sententias, in libri fronte collocatum est. Quo melius in hominum animos haec praecepta insinuarentur eorumque fortasse severitas mitigaretur, nomen ficti amici vel crebrius filii addebatur, ut eo species quaedam rei non fictae, sed verae efficeretur; cuius rei nonnulla exempla hic afferam. Iustin. Cohort. p. 15. C. (Paris. 1615): *Ὀρφεὺς ὁ τῆς πολυθεότητος ὑμῶν πρῶτος διδάσκαλος γεγονὼς πρὸς τὸν υἱὸν Μουσαῖον καὶ τοὺς λοιποὺς γνησίους ἀκροατὰς ὕστερον περὶ ἑνὸς καὶ μόνου θεοῦ κηρύττει λέγων οὕτως·*

---

[71]) cf. Anecdot. Graec. d'Ansse de Villois. I. p. 303.

Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστί, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι
Πάντες ὁμῶς· σὺ δ' ἄκουε φαεσφόρου ἔκγονε Μήνης
Μουσαῖ'· ἐξερέω γὰρ ἀληθέα.

Quibus verbis fere eodem significatu complures usi sunt cf. Lobeck. Agl. p. 441. Similes allocutiones apud Theognidem inveniuntur:

σοὶ δ' ἐγὼ οἷά τε παιδὶ πατὴρ ὑποθήσομαι αὐτός
ἐσθλά· σὺ δ' ἐν θυμῷ καὶ φρεσὶ ταῦτα βάλευ.

et v. eiusdem alium locum:

σοὶ δ' ἐγὼ εὐφρονέων ὑποθήσομαι οἷά περ αὐτός
Κύρν', ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν παῖς ἔτ' ἐὼν ἔμαθον.

cf. Welcker. Theogn. reliq. praelegg. LXXVIII.

Postquam de natura et indole Musaei operis *Εὐμολπία* disseruimus, restat, ut eius quae hodie exstant fragmenta hic afferamus atque quantum fieri potest, explicemus. Ex his vitae praeceptis Musaei Aristoteles sumpsisse videtur, quod in Politic. VIII. cap. V nobis tradidit: *τὴν δὲ μουσικὴν πάντες εἶναί φαμεν τῶν ἡδίστων, καὶ ψιλὴν οὖσαν καὶ μετὰ μελῳδίας· φησὶ γοῦν Μουσαῖος εἶναι*

...... *βροτοῖς ἥδιστον ἀείδειν.*

Aliud fragmentum reperitur apud Aristot. hist. animal. lib. VI. cap. 6: *ὁ αἰετὸς ᾠὰ μὲν τίκτει τρία, ἐκλέπει δὲ τούτων τὰ δύο, ὥσπερ ἐστὶ καὶ ἐν τοῖς Μουσαίου λεγομένοις ἔπεσιν ὃς τρία μὲν τίκτει, δύο δ' ἐκλέπει, ἓν δ' ἀλεγίζει·*

Eundem versum nobis Plutarchus quoque servavit in Vita Marii cap. 36. Inde fortasse fluxerunt etiam versus, quos tradidit Clemens Alex. et in strom. VI. p. 751. ubi Hesiodus dicitur hos duos versus *παρὰ Μουσαίου λαβὼν τοῦ ποιητοῦ κατὰ λέξιν ἐπὶ τοῦ Μελάμποδος γεγραφέναι:*

Ἡδὺ δὲ καὶ τὸ πυθέσθαι ὅσα θνητοῖσιν ἔνειμαν
Ἀθάνατοι· δειλῶν τε καὶ ἐσθλῶν τέκμαρ ἐναργές.

et in strom. VI. p. 738, quo loco Homerum et Hesiodum non solum plura ab Orpheo sumpsisse, sed etiam Musaei versus partim integros partim aliquantulum mutatos ad ipsos transtulisse affirmavit exemplarque eiusmodi pauca attulit haec: *Γράψαντος τοῦ Μουσαίου·*

'Ως ἀεὶ τέχνη μέγ' ἀμείνων ἰσχύος ἐστιν.

Ὅμηρος λέγει (Il. XXIII. 315):

Μήτι τοι δρυτόμος περιγίνεται ἠὲ βίηφιν.

Πάλιν τοῦ Μουσαίου ποιήσαντος·

'Ως δ' αὔτως καὶ φύλλα φύει ζείδωρος ἄρουρα·
Ἄλλα μὲν ἐν μελίῃσι ἀποφθίνει, ἄλλα δὲ φύει·
Ὣς δὲ καὶ ἀνθρώπου γενεὴ καὶ φύλλον ἑλίσσει.

Ὅμηρος μεταγράφει (Il. VI. 147—149.):

Φύλλα τὰ μέν τ' ἄνεμος χαμάδις κ. τ. λ.

Non inopportunum erit hic fragmentum, quod in dissert. nostra s. paragraph. 1. Χρησμοί copiosius tractavimus, memorare cf. Paus. X. 5. 3, ex quo loco clare elucet, haec omnia fragmenta χρησμῶν poesin spectare, quod multa proverbia ethici generis pro responsis habenda sunt, quae ex illis antiquissimis vatibus prodierint. Notum autem est, antiquae χρησμῶν poesi fuisse utrumque momentum et τὸ ἠθικὸν et τὸ προφητικόν. Ex hac ethica poesi antiqua posterioribus aetatibus flos apparuit pulcherrimus atque nituit, gnomica poesis, quae per viros liberalissimo et praeclaro animo praeditos in tam sublime fastigium provecta est. Sed hoc monuisse satis est.

Tantum abest, ut hic accuratiorem horum oraculorum explicationem conemur, ut nostri propositi adiumentum Creuzerum tantum advocemus. [72]) Omnino similes sapientiae doctrinas praebent Porphyr. de vita Pythag. sect. 42. ed. Kuester., Plutarch. sympos. VIII. 7 sqq. — de educat. liberor. p. 12., Diog. Laert. VIII. 17. sq. aliique. Haud raro animalia potissimum quoque aves pro symbolis adhibita esse docet Iamblich. de vit. Pythag. tom. I. cap. 23. p. 229 (Kiessl.). Aquilam autem, quae regnum in aves tenet, apud alias gentes symbolum crebro statutam esse abunde Creuzer. [73]) affirmat. Quae cum ita sint, non facile quisquam dubitabit credere Musaeum antiquum poetam idem fecisse in versu supra memorato:

ὃς τρία μὲν τίκτει, δύο δ' ἐκλέπει, ἓν δ' ἀλεγίζει.

[72]) Symbol. I. 202.

[73]) Symbol. I. 723.

Nimirum perdifficile est, sensum verum e talibus obscuris rebus elicere; sed venia detur recenti meae explicationi, secundum quam opinor huic sententiae sensum absconditum inesse, qui mihi revocat s. scripturae verba: „Multi quidem sunt advocati, sed pauci electi," quae sententia a mysteriis Eleusiniis minime aliena fuit.

§. 5. *Κρατήρ*.

Servius ad Verg. Aen. VI. 667 solus est, qui Musaei carmen „*Κρατήρ*" commemorat hisce verbis: „Musaeus theologus fuit post Orpheum, et sunt variae de eo opiniones; nam eum alii Lini filium, alii Orphei volunt, cuius eum constat fuisse discipulum; nam ad ipsum primum carmen scripsit, quod appellatur Crater." De hac re audiamus Lobeckii sententiam, qui in Aglaoph. p. 376: vir praeclarus, inquit, qui hoc testimonio permotus Craterem Musaei carminibus adscripsit, concedet mihi, Orpheo potius vindicandum videri. Verba controversa — nam ad ipsum primum carmen scripsit — sic interpretor, in quibusdam carminum Orphicorum editionibus Craterem Musaeo inscriptum primum obtinuisse locum." Quid sit causae, qua nixus Lobeckius, cuius scientia universali, ingenio eximio praecipuaque perspicacitate admiratio mea continuo excitatur, in hoc loco interpretando difficultates, quae revera minime erant, inesse opinatus sit, nullo modo adhuc perspicere queo. Sententiarum cohaerentia et sensus affatim demonstrant, his in verbis — nam ad ipsum primum carmen scripsit e. q. s. — Musaeum esse subiectum, quae explicatio cum grammatica ratione minime pugnat. Quibus absolutis restat, ut huius carminis sensum proprium perscrutemur. Equidem consentio Eschenbachio Epigen. de Orphica poesi p. 62, qui sub hoc obscuro titulo significari cosmogoniam putat, cui sententiae de mundi origine veterum Graecorum opinio plane accedit. Antiquissimae enim cosmogoniae, quae apud Hesiodum et Aristophanem leguntur, summam et primam rerum causam non deum aliquem statuunt, sed omnium rerum principia quaedam materialia ponunt, quibus appetitum

coeundi sive desiderium sese commiscendi et vim quandam genetricem, quam Cupidinem sive Amorem nominant, infuisse traduntur, unde ortum sit creationis initium. [74])

Ad probandam autem sententiam modo propositam firmiori etiam argumento uti licebit. Nam ex cosmogonia Musaeo inscripta Diog. Laert. 1. 3 verba: *καὶ τὸν μὲν Μουσαῖον φάναι, ἐξ ἑνὸς τὰ πάντα γενέσθαι καὶ εἰς ταὐτὸν ἀναλύεσθαι* assumpta esse videntur. Quae verba tantum monstrant Musaeum docuisse ex uno omnia esse nata atque in idem resolvi.

§. 6. *Περὶ Θεσπρωτῶν.*

Clemens Alex. strom. VI. p. 751 testatur Musaeum carmen sub titulo *περὶ Θεσπρωτῶν* reliquisse, quod Eugamon Cyrenensis, poeta cyclicus ultimus, compilasse dicitur suoque nomine quasi suum fetum edidisse. Si haec res ita se haberet, hoc carmen Musaei prorsus oblivione obrutum putandum esset, nam aliter Eugamonem aequales nunquam illius carminis auctorem habuissent. Eandem narrationem invenies apud Euseb. Pamphil. praepar. evang. tom. II. 462 (Gaisford.), quam ex Clementis libro haud dubie exscripsit nomine tantum depravato, cum pro Eugamone sive Eugammone simile nomen „Eugrammon“ traderet; qui teste Euseb. chronic. vixisse dicitur olympiade LIII; qua cum re Syncellus chronogr. p. 239 fere convenit, qui eum aequalem Aesopi facit. Notum [74]) est, hunc Eugammonem Cyrenensem Telegoniam scripsisse, in qua ultima fata Ulixis eiusque generis narrabantur, quae res maxima ex parte in Thesprotia factae sunt. Quod autem praeterea Eugammonis aliud opus *Θεσπρωτίς* vocatur, suspicio me tenet, Musaeum Ephesium, de quo statim plura scribam, ex hac Telegonia ea, quae ad antiquiorem Thesprotiae historiam et geographiam pertinebant, sumpsisse suoque operi, cuius titulus erat *περὶ Θεσπρωτῶν*, attexuisse et ita permutationem, quae mihi quidem factu verisimilis videtur, facile irrepsisse. De fabula qua Clem. Alex. l. c. narrat, nostrum

---

[74]) M. Aug. Weichert. Progr. Grimmens. 1842. p. 16.

Musaeum carmen didacticum scripsisse, ne uno quidem verbo loqui oportet. [75]) Similiter Meursius Att. lect. p. 95 hoc et sequens carmen Musaeo grammatico adscripsit.

§. 7. Περὶ Ἰσθμίων.

Musaei carminis περὶ Ἰσθμίων Scholiastae Euripidis et Apollonii Rhodii mentionem faciunt. Et quidem Schol. Apoll. Arg. 480. 8. (Keil.): Μουσαῖος ἐν τῷ περὶ Ἰσθμίων δύο φησὶ γένεσθαι ἀγῶνας ἐν Ἰσθμῷ, καὶ τὸν μὲν Ποσειδῶνος εἶναι, τὸν Μελικέρτου. De hoc mytho duplici v. Schol. ad Pindar. Isthm. prooém. T. III. p. 793 (Heyn.) — deinde Schol. Eurip. Med. 9: ὅτι δὲ καὶ ἀθάνατος ἦν ἡ Μήδεια, Μουσαῖος ἐν τῷ περὶ Ἰσθμίων ἱστορεῖ, ἅμα καὶ περὶ τῶν τῆς ἀκραίας Ἥρας ἑορτῶν ἐκτιθείς.

Videntur haec Isthmiaca fuisse historici argumenti, quod carmen plerique non minus non antiquissimo Musaeo, sed grammatico multo posteriori eiusdem nominis Ephesio tribuerunt. Haec vero coniectura haud facilius refutatur, quam confirmatur, quia de huius Musaeï Ephesii scriptis manca tantum incertaque traduntur. [76]) De aetate quidem huius grammatici melius edocti sumus, quod Suidas tradit, composuisse cum in honorem Eumenis et Attali carmina, ut eum quadam veri similitudine ad tempus Eumenis II. et Attali II. referre videamur. Nos quoque eo libentius doctos illos viros secuti hoc περὶ Ἰσθμίων carmen Musaeo Ephesio adscribimus, quo arctius hic titulus cum natura atque indole aetatis, qua vixit ille grammaticus, cohaeret. [77]) Subtilis enim rerum minutarum sensus, quem scripta grammatica eius aevi spirant, eadem sorte poetarum animos occupaverat, ut poetica scripta ad unum fere omnia nihil nisi ieiunae et frigidae antiquae venustatis et sublimitatis imitationes, quae sunt manifesta fractae poesis indicia, prae se ferant. [78]) Nam plerique aeta-

---

[75]) cf. Bernhardy hist. lit. Graec. I. 214.

[76]) Anecdot. Graec. D'Ansse de Villois. tom. I. p. 303.

[77]) G. H. Voss. de hist. Graec. lib. IV. p. 519.

[78]) Fr. Schlegel. hist. lit. vet. et recent. T. II. p. 84.

tis Pergamenae et Alexandrinae argumentum vere poeticum neglexerunt atque astronomiam vel geographiam vel eiusmodi res, quibus nullus inest poeticus spiritus, carminibus exponendas sibi sumpserunt; talia scripta fuisse videntur Thesprotica et Isthmiaca cf. paragraph. praeced. h. diss.

Restat, ut duo fragmenta sub nomine Musaei tradita memorem, quae nulli nec χρησμῶν poesis nec carminum epicorum titulo inscribi poterant. Unum fragmentum servavit Syrianus comment. ad Aristot. metaph. 12. p. 89 (Venet.): „Animalis ideae excedent divinorum denarios, idealem numerum dicentium, ut mundanum exemplar et terminum omnibus impositum et quod quemadmodum denarius intra se omnem numerum habet, non occulte ut unitas; nec substantialiter ut quaternarius, sed iam cum divisione et diversitate pluri hoc modo etiam intellectuale opificium praecipit in se ipso mundi formas. Et hanc opinionem ab Orpheo et Musaeo et illinc, deductis recipientium Aristoteles ut denario numero ideas ipsorum supponentium sic dirigit opiniones, etsi denario numero supponerent.“ cf. Passov. l. l. p. 215 in additam.

Quicunque aliquantum in philosophia est versatus, nunquam arbitrabitur, talia quae ad doctrinam numerorum pertinent, philosophiae fragmenta ab antiquissimis illis temporibus originem repetere, sed sicut plerique antiqui et recentiores philosophi statuerunt, eiusmodi sententias a Pythagora eiusque asseclis in philosophiam esse inductas sibi persuadeat oportet. idem testatur Syrianus ad Arist. metaph. XIII. p. 121. [79]) Qui fieri potuerit, si quaeras, ut hoc, quod ad Pythagoram rettulimus, fragmentum perantiquo Musaeo sit adscriptum, facile eo explicabis, quod Pythagoreis mos erat, quas ipsi invenerunt, doctrinas ad temporum primordia referre, quo maiorem sibi suisque praeceptis vim captarent et auctoritatem.

Aliud fragmentum exstat apud Alcidamentem or. c. Palam. p. 75. T. 8. (Reisk.) quo loco sequitur de Musaei inventis nar-

---

79) Porphyr. de vita Pythag. tom. II. p. 80. (Kiessl.) et Hanusch. hist. philos. p. 268.

ratio obscurissima: ὀριθμοὺς Μουσαῖος ὁ τῶν Εὐμολπιδῶν Ἀθηναῖος ὡς καὶ τὰ ποιήματα δηλοῖ·

> Ὄρθιον ἐξαμερὲς τετόρων καὶ εἴκοσι μέτρων
> Ὡς δεκάτην γενεὴν ἑκατὸν βιοῦν ἄνδρες —

quam neque Passovius attigit in docto de Musaei carminibus commentario et Lobeckius Agl. p. 235 se expedire posse negat. Ista quoque fabella, quae Musaeum inventorem numerorum denotat, a Pythagoreis ficta videtur, praesertim qua auctoritatem eandem illam Musaei philosophiae, quae spectat ad numeros, firmius stabilirent.

His omnibus expositis reliquum est, ut nostri poetae Musaei lineamenta per totam dissertationem dispersa colligamus atque ad unam, quoad fieri potest, imaginem coniungamus. Secundum omnia, quae nobis de Musaei persona memoriae tradita sunt, sine ulla dubitatione concludendum est, Musaeum fuisse Eleusiniorum mysteriorum sacerdotem atque revera carmina sub huius sacerdotis nomine, quae ad haec mysteria spectabant, posteriori tempore ab Onomacrito ex tenebris templorum educta, in lucem prolata, quin etiam vitiata auctaque esse. Sententiam eorum qui Eleusinia mysteria multo posteriorum temporum inventionem putant, refellere hic non meum est, refutationem autem ad Strab. XIV. 636 atque accuratam huius rei explicationem apud Boeckhium in indice Berol. 1830 facile invenient. Viros enim egregios summaque intellegentia praeditos glaucoma atque praestigia posterioris artis et temeritatis maximi aestimavisse sapiens credere non potest. Si auctor hymni Homerici in Cererem haec Eleusinia (vs. 481) sancta nominavit, quae neque negligere fas est neque curiose scrutari; si Pindarus in aliquo fragmento apud Clem. Alex. strom. III. 518. (Pott.): „Beatus, ait, qui illis Eleusiniis spectatis cavam sub terram ibit: novit ille vitae exitum, novit etiam a Iove datum principium;“ nemo erit, qui recuset quominus haec Eleusinia perantiqua instituta fuerint. Alia egregia eiusmodi documenta Winiewskius (ind. lect. Monast. Guestphal. 1859. p. 4 sq.) summo studio collegit, ex quibus inprimis Cicero de legg. II. 14. p. 36 memorandus est. Atque alia his similia argumenta

multa possunt afferri. Haec iam satis sufficient exempla, ut appareat, quanta fuerit horum mysteriorum auctoritas. In his Eleusiniis noster Musaeus sacerdos fuisse refertur idemque egregius et inclitus cum religione tum carminibus suis, quae ad usum horum mysteriorum spectabant. Ad hanc hieraticam et mysticam poesin numerandi sunt χρησμοί, τελεταί, ὕμνοι, ut supra exposuimus; quorum si singuli versus afferuntur, in ea forma, qua servati sunt, omnino non genuini, sed haud dubie subditicii habendi sunt. Simili ratione ad eandem rem referenda sunt iudicia critica, quae apud Paus. I. 24, 2: ἔπη Μουσαίου μέν, εἰ δὴ Μουσαίου καὶ ταῦτα et Schol. Apoll. Arg. 449. 19 (Keil.) ἐν τοῖς εἰς Μουσαῖον ἀναφερομένοις inveniuntur; quae dicta tantum ad formam, non ad argumentum ipsum pertinent. Has res similiter apud Orpheum sese habuisse testatur Aristoteles, qui accuratius et Platone (rep. II. 364. C.) perfectius de Orphicis carminibus diiudicat. Is enim περὶ ζῴων γενέσεως II. init.: τὰ καλούμενα Ὀρφέως ἔπη et alio loco περὶ ψυχῆς I. 5. τὰ Ὀρφικὰ ἔπη καλούμενα nominat manifeste haec carmina non genuina esse indicans. Quam opinionem idem in scriptis suis aperte pronuntiavit, ut Cicero de natura deorum I. 38. memoravit: Orpheum poetam docet Aristoteles nunquam fuisse et hoc Orphicum carmen (ἱερὸν λόγον) Pythagorei ferunt cuiusdam fuisse Cercopis.“ cf. Herodot. II. 53 et quae adnotavit ad hunc locum Heynius in commentatt. societat. Gotting. T. II. p. 132. Quomodo autem haec verba intelligenda sint, ex verbis Philoponi ad Aristot. de anim. I. 5 cognosci potest, qui verbis ἐν τοῖς καλουμένοις Ὀρφικοῖς ἔπεσι haec explicaturus adscripsit: καλουμένοις εἶπεν, ἐπειδὴ μὴ δοκεῖ Ὀρφέως εἶναι τὰ ἔπη, ὡς καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας λέγει· αὐτοῦ μὲν γάρ εἰσι τὰ δόγματα· ταῦτα δέ φασι Ὀνομάκριτον ἐν ἔπεσι καταθεῖναι. Itaque Ciceronis verbis elucet Aristotelem nunquam Orphei personam in dubitationem vocasse, sed poetam Orpheum, qualis eius temporibus credebatur, id est, Orphica carmina genuina negasse; quae res toto coelo diversa est. Post hanc digressionem, quae omnino necessaria erat, ad nostrum Musaeum iam redeamus. E multis, quae sub Musaei nomine

nobis tradita sunt, carminibus si quidem pleraque a Musaeo eiusque aetate aliena refutavimus, de iis quoque, quae vera et genuina Musaei opera cognovimus, eo moderanda est opinio, ut non tam ad nostrum poetam unicum auctorem referenda, sed etiam a tota illa gente sacerdotali, quae cum Musaeo affinitate quadam animi munerisque necessitate cohaerebat, edita et divulgata esse putentur. Cuius rei similia non solum in historia mythica, veluti quae de Hercule, Theseo, Tiresia narrantur, sed etiam in literis et antiquis et recentioribus inveniuntur. Hic tantum mentionem faciamus Hesiodi, Aesopi, Anacreontis atque ex nostris literis afferamus Nibelungiadem. Quorum facta et scripta additis similibus ad historiae et literarum κύκλον mythicum creverunt. Epica denique carmina, quae omnia Musaeo supposita habuimus, si quis iam putaverit perantiqua esse, ad auctorem Scholii Plautini eum relegamus, qui mysticorum carminum epicorum scriptores nominatim appellat, ut Ritschelius quidem opinatur: Die alexandr. Bibliotheken unter den ersten Ptolemäern. Breslau 1838. p. 4, ubi praeter Onomacritum Zopyrus Heracleota, Orpheus Crotoniata, Conchylus nominantur.

Sed haec hactenus: Eumolpum, de quo in hac iam dissertatione dicere mihi propositum et maxime in votis erat, alio tempore aggrediar. Quaecunque in libello nostro reperies nova eorum maximam partem locis, quae ex antiquitatis eruditae et recentioris temporis scriptoribus citantur, probavimus, saepe virorum scientia et doctrina eminentium opiniones, rarius meas ipsius coniecturas secutus, exceptis, ut par erat nominibus propriis et plurium vocum significatu, in quibus gravissime peccatum fuisse quibusque vitiis medicinam struendam arbitratus sum. Denique quoniam haec coniectandi via difficilis est et lubrica, id quod nemo literarum peritus nescit, errandi veniam non peto quidem, at venia detur erratis.
